SCRINIUM.
DIVI
AUGUSTINI

In quo arcana illius de *Adjutorio Sine quo non* Senſa continentur.

ADDITA LIBRA
Cum Æquamento Augustini

INTER
CALVINIANOS
ET
ARMINIANOS.

Authore P. Fr. Franciſco à S. Auguſtino Macedo Franciscano Obſervante Provinciæ Portugalliæ Luſitano, Conimbricenſi, Magiſtro Artium & Theologiæ Profeſſore Chriſtianiſſimorum Galliæ Regum Annæ Matris Regentis, & Ludovici XIV. Concionatore, & Conſiliario, & Sereniſſimi Luſitaniæ Regis Joannis IV.

HISTORIOGRAPHO LATINO.

LONDINI,
Typis Thomæ Roycroft, *Anno* 1654.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

ILLUSTRISSIMO VIRO

DOMINO

FRANCISCO CLEMENTI

PATRITIO PARLAMENTARIO PARISIENSI REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIO AULÆ REGIÆ SENATORI.

Epiſtola Dedicatoria.

NEMO eſt Parens, quin naſcenti Fœtui Felix Sydus optet, aſſignetque. Quod omnes perſuaſum habeant ab eo, quod Genituræ præſit Aſtro, naſcentis vitam fortunamque pendere. Tantumque in eo momenti eſſe putant, ut ſi in poteſtate ſydera eſſent non dubitarent allicere, imo & Cælum, ſi poſſent, ſubornare. Sed res illa intra votum manet. Itaque optantur ſydera, non exorantur. Ecquis ignoret Scriptores Parentes operum ſuorum eſſe? qui libros tanquam Fœtus ſtudendo generant, cogitando concipiunt, ſcribendo formant, laborando parturiunt, excudendo pariunt. Igitur Parentum

more Astra in Patronis quærunt, qui tutelæ, decorique in lucem prodeuntibus esse possint. Atque uti Astra sunt & sublimia & splendida, ita Patroni qui optantur, cum illustres sunt, & magnifici, tum in amplissimo dignitatis gradu collocati eminere solent. Id inter eos & sydera interest, quòd ij & vivunt, & intelligunt, & rogari se, exorari que patiuntur : ut quem quisque cupit, eum sibi possit promereri & adoptare. Ac ille quidem felix erit Author, cui quem maxime Patronum desiderat, is benevolus propitius que existat; atque adeo tutelam Patrociniumque præstare velit. Hujusmodi ego me Authorem esse nunc novi, Illustrissime Clemens, cùm & hunc librum edidi, & illi tanquam Parres Patronum quæsivi. Nam cum in Cælo Gallico omnium Clarissimo, Parisijs (quâ nulla Cæli pars est nobilior) sydus inquirerem, illud in te inveni, quod cùm & sublime esset, & illustre : tum mihi, ni mea me fallit opinio, & familiare, & benignum. In quo & satis foret splendoris ad gloriam, & ad præsidium dignitatis : nec deesset ad utrunque præstandum voluntas : ut quicquid ego optarem, id tu prorsus pro tua magnitudine posses, pro tua benevolentia velles implere.

Et

Et quidem te ego ſummo jure Sydus appellem: propter claritatem ſanguinis, ſpeciem oris & corporis, lucem ingenij, radios eruditionis, ſplendorem domûs, beneficentiam in omnes, & gratiam in te omnium, qui cùm tot dotibus abundes, nemo eſt qui invideat, nemo qui non diligat, & complectatur. Ac niſi injurium me tibi fore exiſtimarem, ſi cum multis ſtellis par ſis, uni ex ijs te conferrem, Mercurio ſimilem eſſe dicerem. Togatum quippe præte fers Decus, ſcientiæ ac Eloquentiæ luminibus diſtinctum. Virgam manu tenes Paciferam ob ſtudia Pacis, & communis, quam foves tranquillitatis, quâ ſingulari dexteritate uſus animos omnes ad te evocas & allicis: cunctis & civibus & externis gratus, ut dum alij imperium in corpora exercent, tu in animos jus dicere videaris. Quid? quòd Alatis plantis totam penè Europam adoleſcens peragraſti? & nobile Gallicæ innatum nobilitati peregrinandi ſtudium, magnis exertis virtutibus commendaſti? Nam cum ut aliena, & nova inviſeres peregrinationem ſuſcepiſſes, dotibus effeciſti tuis, ut novus & peregrinus ijs ipſis quos viſeras viderere. Itaque non minus ſpectabare, quàm ſpectabas; & dum mi-

more Astra in Patronis quærunt, qui tutelæ, decorique in lucem prodeuntibus esse possint. Atque uti Astra sunt & sublimia & splendida, ita Patroni qui optantur, cum illustres sunt, & magnifici, tum in amplissimo dignitatis gradu collocati eminere solent. Id inter eos & sydera interest, quòd ij & vivunt, & intelligunt, & rogari se, exorari que patiuntur : ut quem quisque cupit, eum sibi possit promereri & adoptare. Ac ille quidem felix erit Author, cui quem maxime Patronum desiderat, is benevolus propitius que existat; atque adeo tutelam Patrociniumque præstare velit. Hujusmodi ego me Authorem esse nunc novi, Illustrissime Clemens, cùm & hunc librum edidi, & illi tanquam Parres Patronum quæsivi. Nam cum in Cælo Gallico omnium Clarissimo, Parisijs (quâ nulla Cæli pars est nobilior) sydus inquirerem, illud in te inveni, quod cùm & sublime esset, & illustre : tum mihi, ni mea me fallit opinio, & familiare, & benignum. In quo & satis foret splendoris ad gloriam, & ad præsidium dignitatis: nec deesset ad utrunque præstandum voluntas: ut quicquid ego optarem, id tu prorsus pro tua magnitudine posses, pro tua benevolentia velles implere.

Et

Et quidem te ego ſummo jure Sydus appellem: propter claritatem ſanguinis, ſpeciem oris & corporis, lucem ingenij, radios eruditionis, ſplendorem domûs, beneficentiam in omnes, & gratiam in te omnium, qui cùm tot dotibus abundes, nemo eſt qui invideat, nemo qui non diligat, & complectatur. Ac niſi injurium me tibi fore exiſtimarem, ſi cum multis ſtellis par ſis, vni ex ijs te conferrem, Mercurio ſimilem eſſe dicerem. Togatum quippe præte fers Decus, ſcientiæ ac Eloquentiæ luminibus diſtinctum. Virgam manu tenes Paciferam ob ſtudia Pacis, & communis, quam foves tranquillitatis, quâ ſingulari dexteritate vſus animos ómnes ad te evocas & allicis: cunctis & civibus & externis gratus, vt dum alij imperium in corpora exercent, tu in animos jus dicere videaris. Quid? quòd Alatis plantis totam penè Europam adoleſcens peragraſti? & nobile Gallicæ innatum nobilitati peregrinandi ſtudium, magnis exertis virtutibus commendaſti? Nam cùm vt aliena, & nova inviſeres peregrinationem ſuſcepiſſes, dotibus effeciſti tuis, vt novus & peregrinus ijs ipſis quos viſeras viderere. Itaque non minus ſpectabare, quàm ſpectabas; & dum mi-

rabaris externa, te ipſum externi admirabantur. Nulla omnino Civitas fuit, quæ cum peregrinum acceperit, civem te ſuum votis non effecerit. Intrabas alienus, Civis exibas, in uno diverſorio eras & in tota urbe habitabas. Si Gallus eſſe non malles vbique Patriam invenires. Debeat hoc tibi Gallia, quod propter eam reliquam Europam contempſiſti: imo & quod in eam multas tecum civitates intuliſti.

Redditus Patriæ, quæ lumina vndecunque collegeras ad illius ſplendorem gloriæ effudiſti. In Aulam adſcitus, In Curiam cooptatus, ad Arcana Regia admiſſus, Conſiliorum particeps, Togatis munijs præfectus Reipub profuiſti. Cives tuos partem beneficijs, partim officijs devinxiſti. Alienos comitate, vrbanitate, gratiâ conciliaſti. Humanus, facilis, liberalis. Domus tua ornata & ſplendida, civibus aperta, externis pervia, commune hoſpitium: quæ & literatos quoſcunque exciperet, & Cives redderet. Itaque Gratiam peregrinis retuliſti, vtquoniam tu eorum vrbes intraveras, ijs domum tuam venientibus aperires. Itaque illa vna cum eſſet, Vniverſæ Europæ par fuit. Pulcherrimam Bibliothecam inſtituiſti, in

qua

qua neſcio vtrum magis mirer. Copiam, an ornatum? Varietatem rerum? an diverſitatem linguarum? ordinem, an nitorem? qui in ſplendida domo tantus eſt, vt aut in viridario Flores, aut in Cælo ſydera intueri te putes. Alibi invenias libròs ad legendum, hic etiam ad videndum. Alibi ſtudere tantum poſſis: hîc & oblectari. Regnat iſthic & ſcientia, & voluptas. In alijs Bibliothecis ſtudendo ſenſus obtunditur, hic irritatur. Theatrum eſt in quo libri perſonas agunt.

In hoc ego cum ſæpe à te familiariter invitatus intraſſem magnâ ſum voluptate perfuſus. Ex qua cupido animo meo incesſit ſcribendi aliquid, quod cum tibi dicaſſem, & in lucem emiſiſſem, poſſet in tua illa ornatiſſima Bibliotheca locum habere. Quanvis enim opus, quòd à me profectum, tanta indignum luce videbatur, quòd tibi dedicatum eſſet, lumine à te, ceu Sydere accepto, tam illuſtri loco dignus redderetur. Belle autem cecidit, quòd liber Scrinium Auguſtini *inſcribatur, in quo cum arcana i lius Senſa exponantur non niſi homini amiciſſimo & familiariſſimo committi poterant.*

Ego certè Illuſtriſsime Clemens non debui, quæ ex Auguſtino ſecretò in aurem inſtillante audivi alij præter te, quem vnicè amo, & colo nuncupando credere. Tu benignè, opinor, excipies, & expanſo benevolentiæ tuæ ſinu proteges ac fovebis. Hac tu ratione efficies, vt ſi minus pulcher ſit hic ingenij mei fætus, certè felix fortunatuſque habeatur.

Vale vir Illuſtriſſime

Londino Kal. Sextil.

Tuus ex Aſſe.

Frater Franscis cus à S. Augustino

Macedo.

LECTORI OPTIMO.

SCripseram magnis multis que vigilijshoc opus, & sepoſueram apud amicum Bipliopolam, ut tandiu ſepoſitum ſervaret, donec ego ſecundam partem de Adjutorio *Quo* ideſt de *Auxilio Efficaci* contra Socinianos, & Arminianos & Eccleſiæ Romanæ, & Gratiæ Auguſtinianæ acerrimos nunc hoſtes, abſoluerem: ut cum abſolutum eſſet, ambos in unum volumen libros includerem. Verum cum ab inſtituto curſu ſcribendi ſuâ me Buccinâ Thomas Anglus revocaſſet, & ad defenſionem Pontificiæ Mentis, & Authoritatis, quam Author ille oppugnabat, ſtylum meum in Auguſtino occupatum convertiſſet, occaſionem ex mora fecit Bibliopola, opuſculumque meum clam typis ſuis mandavit, & in lucem emittere decrevit. Quod cum reſciſſem interceſſi, queſtus quòd mandatum meum præteriſſet. Excuſavit moram interpoſitam, & properum meum ex Anglia diſceſſum, quem brevi futurum audierat: hac ratione motum excudere opus voluiſſe, ne fortè aut diſcedens auferrem, aut relictum negligerem. Cauſas etſi non omnino probavi, tuli certe: & judicium ſuſtinui dubius adhuc de publicando. Sed cum ille adjiceret magno ſibi detrimento fore, ſi quem ſuis librum expenſis clam me excuderat, is venum non daretur, perſuaſit, ut evulgandi gratiam facerem. Invitus fate-

or,

or, ac dolens permitto, ſed quid aliud tandem facere aut debui, aut potui? Itaque quod conſequens erat calamum arripui, & rationem tibi, Lector Optime, mei non tam conſilij quam alieni inſtituti reddere volui. Illud te imprimis moneo: id mihi propoſitum eſſe, cum de Gratia ſcribo, ut mentem Divi Auguſtini, a quo vix ex quo eum (ſexdecim anni ſunt) cæpi legere, vix unquam avellor exprimam, uti apud eum nullo adhibito interprete deprehendo. Tum eâ deprehensâ alios authores, ac præcipue Patres Societatis inter quos feliciter educatus, & eruditus fui, quos maximè & amo, & colo, accuratisſimè lego, & mea cum ijs ſenſa confero, & quid tum inter eos, tum inter me eoſque interſit, collatis ſententijs diligenter obſervo. Præcipuam vero operam pono in Suario, & Vaſquio, quos Principes Jeſuiticæ Theologiæ dicere ſoleo, in quibus eruditos oculos habeo. Hi duo ingenio & eruditione pares, doctrina plerumque diſſimiles magno mihi adjumento ſunt, ad ſenſus meos unius aut alterius patrocinio confirmandos, idque ex hac lectione & æquiparantia obſervavi, raro me cum Auguſtino ſum aſſenſus, ab alterutro diſſentire: quemadmodum tibi, Lector Optime, legenti mea conſtabit. Recentiorum autem ejuſdem Societatis Authorum ſcripta ſic lego, ut non ſolum quid ſentiant ipſi, ſed An & quatenus cum duobus illis Principibus conſentiant ſedulo inſpiciam. Omnium itaque mihi ſunt perſpectæ exploratæ quæ ſententiæ, & quantum quiſque ratiocinando valeat, planè compertum.

Ac ne unius tantum Scholæ (quanquam non unius duntaxat Societas ſpeciem habeat, quod liberum in ea

ſit

sit & sentire, quid velis, & quid sentias dicere) studijs placitisque addictus videar, operam do nobilissimis Thomisticæ Doctrinæ Authoribus, eos que diurnâ nocturnâ que manu verso. Et quanvis ad illorum lectiolectionem seriùs me contulerim; quòd maturior, & excercitatior accesserim, brevitatem temporis judicio compenso. Itaque paulo minus eos, quàm Societatis notos & perspectos habeo. Soleoque & eos inter se, & cum Jesuitis comparare, magnâ non modo ingenij contentione, sed animi etiam voluptate. Atque ut Suario, & Vasquio Jesuitarum Principibus delector, ita Thomistarum Aluarez, & Bannez maxime diligo. Id ex utrorumque collatione sum assecutus,, ut cum utrique de Prædestinatione & Gratia diversa opinentur & tradant, ego qui nullarum sum partium, & de illis incorruptè judicem, & utri propius ad Augustinum & veritatem accedant, prorsus comperiam. Et quidem hoc tibi, mi lector, persuasum habe, qui unis tantum lectis de re tota judicium ferre velit, eum minus rectè calculum positurum. Cui sint utrique perspecti, eum de tota controversia posse vere apteque judicare. Ne vero existimes eò hæc a me dici, quod nihil nisi vel ab ijs occupatum, vel præjudicatum afferam; sed quod cum quicquid ij utrinque sentiant habeam perspectum, appareat posse me opportunè medium quiddam videre, quod inter utrosque interiectũ veram & germanam Augustinianæ doctrinæ viam contineat, quâ gradiar ad Gratiæ & libertatis concordiam, quam sumptis hinc inde quibusdam & alijs relictis sententijs concinnabo. Quoniam vero de Adjutorijs tractare cæperam, agendum prius mihi fuit de Adjutorio Gratiæ *Sine quo non*, ideſt *Sufficiente*

ente cui cum tractatum de Adjutorio *Quo* vellem adjungere Bipliopola institutum meum abrupit, & solitarium hoc opus in lucem exire coegit. Et quanquam factum doleam, illo me consolor, quod & idoneum volumen est, ex & eo potes Lector quid ego in exponendo Adjutorio *Quo* præstare queam, conjicere. Ne mirere autem me qui alios Authores cito, Scotistas meos non adducere. Fateor me ad eos seriùs accessisse: nunc lego, & cum sensus omnes Augustinianos exprompsero, illorum eos authoritate confirmabo. Scio enim Scotistas maximè Augustinianos esse. Tres imprimis quos legi Smisingum, Arribam, & Pilosum: & tres alios quos nunc incipio legere Davemportum Marchantium, Hauzeurium, qui hodie vivivunt & florent in Belgio, quos ego, quantum ex inchoata eorum lectione possum conjicere, non dubitem cum summis cujusvis alterius Ordinis Authoribus comparare.

Vale

TYPOGRAPHI

TYPOGRAPHI AD LECTOREM MONITIO.

QUoniam compertum est mihi optare multos Authoris Opera omnia nosse ac legere: eaque plura esse quàm vulgò scitur, & ignorari quot & cujusmodi sint, quòd Author & genio gentis & suo condendi studiosior, quàm edendi fuerit; operæ pretium duxi omnibus illa indagata vestigiis exprimere. Id haud facile factu fuit: nam cum ab adolescentia varias peregrinationes Reip. causâ susceperit, & totam fermè Europam in Legatorum, qui omnes illius semper flagitabant operam, comitatu peragraverit, tam dispersa monumenta sunt, ut ægrè non modò colligi, sed etiam deprehendi potuerint. Scio nonnulla intercidisse: Plurima quæ avulsa recenseri non posse. Itaque majora, & quæ justi voluminis speciem præbent, numerari oportet. Sequar ordinem temporum.

Elenchus Librorum Authoris.

APotheosis Beati Franciſci Xauerij
Oliſipone Anno 1620.
Poema Epicum in Octavo.
Apotheosis Divæ Elizabethæ. Re-
Conimbricæ An: 1625.
ginæ Portugalliæ. Poema Epicum. in Quarto.
Vida de Don Luis de Attayde Conde de
Madritti. An: 1629.
Attouguia Virrey dela India Oriental.
Hiſtoria. Hiſpanice. in Quarto.
Madritti. An: 1633.
Summa Chronologica. Hiſpanice. in Quarto.
Panegyris Apologetica pro Luſitania
Pariſiis. An: 1641.
vindicata. in Quarto.
Jus ſuccedendi in Regnum Portu-
Pariſiis. An: 1641.
galliæ. in Folio.
Roma. Poema Epicum. in Quarto. Romæ An: 1641.
Honor vindicatus. in Octavo. Rupellæ. An: 1642.
Elogia Gallorum. in Quarto. Aquis Sextiis. An: 1642.
Philippica Portugueſa. Hiſpanice.
Oliſipone. An: 1644.
in Folio.
Propugnaculum Luſitano-Gallicum.
Pariſiis. An: 1947.
in Folio.

Cor-

Cortina Divi Augustini de Prædesti-
natione & Gratiâ. in Quarto. Parisiis. Ann. 1148.

Libellus Anonymus. in Octavo. Londini. An. 1652.

Alter Anonymus. Hispanicè.
in Quarto. Londini. An. 1653.

Domus Sadica. in Folio. Londini. An: 1653.

Mens Divinitus inspirata Sancto Patri N.
Innocentio Papæ X. &c. in Quarto. Londini. An:1653.

Lituus Lusitanicus, id est Apologia Mentis
Innnocentii adversus Thomam Anglum.
in Quarto. Londini. An:1654.

Scrinium Divi Augustini de Adjutorio
Sine quo non, id est de Auxilio Sufficiente.
in Quarto.

Tessera Romana Authoritatis Pòntificiæ.
in Quarto. Londini. An: 1654.

Habet præ manibus Versionem Poematis Lusiadum Ludovici Camonij Hispanicorum Poetarum Principis cum notis. Opus eo genere absolutum, propediem in lucem edendum.

Hyperaspisten Augustini in quo omnes ejus sententiæ quæ à quopiam improbentur, à calumnia vindicantur.

Historiam Latinam Serenissimi Regis Lusitaniæ Joannis IV.

Tria ingentia volumina.

Corculum Auguſtini de Adjutorio Quo id eſt Gratiâ Efficaci adverſus Socinianos, Puccianos Arminianos, Remonſtrantes noſtri temporis Pelagianos & Semipelagianos. in Folio.

Intercideruntur.

Scientia Poetica.
Scientia Rhetorica.
Adverſaria totius Auguſtini.

Quædam alia refert P. Philippus Alegambe è Societate Jeſu in ſua Bibliotheca: quæ, quia hæc non eſt ad manum, munerare non poſſum.

PROLOQUIUM.

PROLOQUIUM.

UTI Virtus inter duo vitia extremè oppoſita locatur: ita inter duos contrarios Errores Veritas conſtituitur. Id quòd alias ex Tertulliano animadvertimus, nunc monſtrare omittimus. Tantum adducto à Tertulliano Chriſti inter duos Latrones Crucifixi Paradigmati addimus. Latrones unà cum Chriſto Crucem pertuliſſe: non ei Crucem paraſſe. Hæreticos parare veritati Crucem, non perferre. Et quidem veritatum una Gratiæ, Crucifixo maximè Chriſto ſimilis fuit: Fortè quod Omnis Gratia à Crucis Fonte manavit. Sed Chriſtus ſemel. Veritas bis Crucifixa. Olim inter Manichæos & Pelagianos. Hodie inter Calvinianos, & Arminianos Crucem ſubit. Illud mirum: quòd hi veritate in Crucem actâ Hæreticos ſuſcitarunt. Calviniani Manichæos, Arminiani Pelagianos. Sed non totus in Calvino Manes, nec integer in Arminio Pelagius. Semi-Manichæus ille. Hic Semipelagianus

mipelagianus. Sed non minus dimidio, quam illi toto corpore nocuerunt. Nam Veritati non tam vi, quam fraude officitur. Facilius est autem propius ad veritatem erranti fucum inducere, & fallere, quam enormiter, & procul à veritate aberranti. Atque ut in Amore Dimidium plus toto valet, ita in odio sæpe dimidium plus toto nocet, quia dum vult, unum cum veritate componere, seque illi tamquam dimidium applicat illudere ac elidere Veritatem conatnr. Hac arte multis Calvinus, Arminius que imposuit: ille dum Gratiam extollit, libertatem evertit: hic dum erigit libertatem, Gratiam deijcit. Sed bene est quòd ij ex latronibus Gladiatores extiterint, & in contraria studia scissi factiones excitarunt: quæ more gladiatorio in arena se mutuis ictibus conficiunt. Sed quoniam illi non ferro, sed doctrina pugnant & pugnando docent; ne quem imperitum seducant, & ipsi errantes in viã veritatis reducantur, statui sensus utrorumque prodere, in quos ego diligenter, ex quo sum in Anglia inquisivi, ut cum appareat quid quisque sentiat, veritatisquæ in medio consistit census constet. Ac ut aptè id & certò efficerem, quemadmodum Crux Statera *dicitur, ita li-*

bram

bram *ego* veritatem *instituí*: *& quòd certa & indubitata est de Gratia Augustini doctrina, eam loco* veritatis *posui*: *& lancibus hinc inde productis Æquamentum Augustini adhibui. De Authoritate Augustini, etsi Arminiani dubitent, neminem puto Catholicum dubitare posse. De mea circa ejus sententias fide non deerunt, qui ambigant; sed qui meum in perlegendo & expendendo Augustino pertinax studium, et ingenij candorem norit credere non metuet affirmanti: cum præsertim, tam Augustinum amem ut in ejus me sensus intimè insinuaverim, et minime sim ausurus aut eos detorquere aut corrumpere: ne quam vim aut injuriam ei quem summè diligo faciam. Quod si acumen & subtilitas deest.* Est ubi Cæcus Amor plus mentis acumine cernat. *Cui enim Amanti ejus quem amat sensus noti non sint? Horum ego uti explorator, ita trutinator sum. Libram produco. Lances expono. Lingulam adhibeo. Ago libripendem*

Dum statuo geminas æquato examine Lances
Lingula monstrabit, vergant quò pondera Veri.

LIBRA

PROLOGIUM.

SInt ne hodie hoſtes Gratiæ? Scire qui velit, inſpiciat is, An ſint hodiè Auguſtini hoſtes? Cumque hos invenerit, & illos inveniſſe ſe putet. At in Belgio ſunt hoſtes Auguſtini, ſunt & in Anglia, licet multo pauciores, ideſt Arminiani & Remonſtrantes. Hi nempe ijdem ſunt Gratiæ Inimici. Rurſus & Eccleſiæ Romanæ. Et quidem: cum qui unum Auguſtinum oderit, & Gratiam & Eccleſiam oderit. Subtilis eſt eorum Error. At meus Amor acutus. Elevant ſubtiliter Auguſtini authoritatẽ. Ego acutè confirmem. Deprehendi Arminianos & Remonſtrantes ad ſuam ſtabiliendã hæreſim, & Auguſtini ſententiã Catholicã infirmandã, abuti quorundã Catholicorũ hominũ teſtimonijs qui (proh dolor?) Auguſtino occultè detrahunt: ac eo ſe clypeo munire adverſus alios Catholicos, qui ſuam hæreſim Auguſtini authoritate oppugnant. Statui ergo alios Doctores Catholicos proferre, qui Auguſtinum maxime commendent, ejuſque plurimum authoritati tribuant, quorũ teſtimoniis Arminii & ſequacium calumniæ refutentur. Hi autem & ſummi & præſtantiſſimi ſunt: Bellarminus, Vaſquius, & Suarius: quanta virorũ nomina! Imo & Fulmina! quos & Arminiani timeant, & Catholici vereantur. Norint qui cum Arminianis hac in re ſentiunt, tribus hiſce Theologiæ Jeſuiticæ Principibus refragari. Nec ego omnia colligo teſtimonia: ſed quæ ſint ſatis ad reprimendam Arminianorũ audaciam.

¶ Contra

Contra Auguſtinum

ARMINIUS.

In quæſtionibus novem. q. 5.

DOctrinam Auguſtini de Prædeſtinatione adſtruere neceſſe non habemus, ut inquit Innocentius Pontifex Romanus.

IDEM

Collatione cum Junio.

Improbatâ Sententia Divi Thomæ de Prædeſtinatione, xxvij Propoſit. ſic.

Auguſtini ſententiam jam non attingam quia fruſtraneum id eſſet, ſi iſta Thomæ, conſideratione prior, mihi adprobari poſſet.

IDEM.

Eadem Collatione cum Junio ait ſententias Divi Auguſtini & Divi Thomæ de Prædeſtinatione cum Calvini errore convenire. ita xxviij. Propoſit.

Au-

Pro Auguſtino.

BELLARMINUS.

In Controverſiis Fidei tomo. 1. de verbo Dei in Præfatione.

EGo ipſe jam ſenex & morti proximus Sanctum Auguſtinum imitatus.

Et tomo. 4. lib. 1. cap. 1. contra Heſhuſium.

Vel ignorabat Heſhuſius has eſſe Sancti Auguſtini ſententias, vel non ignorabat. Si ignorabat valde imperitus ſit neceſſe eſt, cum hæ ſint ſententiæ celeberrimæ ac fere omnibus notæ: Si non ignorabat impudentiſſimus eſt cum tantum Doctorem contemnere non dubitaverit, ac preſertim in ea re, &c.

IDEM.

Eodem tomo. lib. 4 c. 1.

Primus omnium Sanctus Auguſtinus controverſiam de peccato originis copioſiſſime diſputavit. *Et*

Contra Auguſtinum

Auguſtini ſententiam cum duabus illis (*id eſt Calvini & Divi Thomæ*) in ſumma rei convenire, ego ſemper ſenſi & adhuc ſentio.

Idem Arminius.

Confutans doctrinam Auguſtini de voluntate abſoluta circa bona, & Permiſſiva circa mala, quæ duæ voluntates in Prædeſtinatione apparent.

In Examine Prædeſtinationis Perkinſianæ part. 1.

Si mihi liberè loqui liceat, dicam me malle ut Auguſtinus... & alij omnes ab hujuſmodi phraſibus abſtineant quæ in Scripturis non continentur, & explicationem deſiderant prolixam, ne in blaſphemiæ & hæreſeos occaſionem trahantur, *Et poſtea pag.* 552.

Dictum Auguſtini rigidè examinatum conſiſtere non poterit.

Idem in eodem Exam Criminat. 4.

Exponens illum locum Pauli. 1. *Timoth.* 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri *contra Auguſtinum*

Pro Auguſtino.

Et l. 1. *c.* 9. *de Juſtificatione* Auguſtinum ſecuti Proſper, Leo, Fulgentius.

Et *c.* 21. S. Auguſtinus præcipuus Gratiæ Defenſor.

Et ibidem. lib. 2. *c.* 6. Contra Calvinum ex Scriptura, ex Auguſtino, & ratione probabimus.

Vaſquez. 1. *p. diſp.* 88. *c.* 2.

Non parum refert Auguſtini ſententiã de Prædeſtinatione & Gratia fideliter ãplecti: nec enim ipſe aliter de Prædeſtinatione quàm de Gratia locutus eſt. De Gratia vero ejus doctrinam Summis Eccleſiæ Pontificibus Innocentio, Celeſtino, & Leoni Concilio Arauſicano mirum in modum probatam fuiſſe d. 89. & 91. manifeſtum erit.

Idem ibid. c. 6.

Mirabile ſane fuit ingenium Auguſtini in probanda Gratiæ neceſsitate contra Pelagium. Contra Semipelagianos verò, ut pote uiros alioqui inſignes & eximiæ Sanctitatis, nec tam apertè à veritate aberrantes multo mirabilius.

Idem

Auguſtinum, cujus expoſitionem vocat Scopas diſſolutas. *addit.*

Quid eſt vim facere Apoſtolico ſenſui, ſi non hoc eſt? Auguſtinus ita explicuit. Quid tum? Non ſtamus illius authoritate.

Idem *Arminius.*

Diſputans de ſenſu loci Pauli Epiſtola ad Rom. cap. 7. a. n. lxiv. ad finem utrum intelligi debeat de Homine ſub Lege? an ſub Gratia conſtituto? *in Concluſione pag.* 758.

Auguſtinus, *inquit*, ut locum iſtum de regenito homine, & ſub Gratia conſtituto interpretari poſſet, quod putabat ſibi adverſus Pelagianos diſputanti conducere, coactus eſt vim inferre Apoſtolicæ phraſi, & multa contra expreſſam Apoſtoli mentem & ſenſum interpretari.

Et infra. Peto ut Auguſtinus

Idem de 89. *c.* 1. *n.* 8.

Auguſtinus in materia de Gratia & Prædeſtinatione inter cæteros Eccleſiæ Patres non aliter quam Sol inter minora ſydera præfulget.

Et c 4 *n.* 1.

Tametſi aliorum Patrum authoritas in omni controverſia magni ponderis apud omnes eſſe debeat; in hac tamen de qua nunc agitur, ideſt Prædeſtinatione Unus pro multis mihi ſemper erit Auguſtininus: quod omnium qui benè ſentiunt judicio inter cæteros plurimum eminebat. *& ibi fatetur Auguſtinum illa in re utranque Paginam facere, ejuſque ſententiam ſecundùm ſcripturam locat. c.* 5. *&* 6. 8. *&* 9. *Suarez.*

1. *tomo de Gratia Prologomeno* 6 *c.* 6.

Ulterius addimus quicquid in hac materia (*deſt Gratiæ*) Auguſtinus, ut certum affirmat, & ad dogmata Fidei pertinere à quolibet prudente & erudito Theologo eſſe tenendum & defendendum; etiam

ſi

nus mihi commonstret locum in Scriptura, ubi Carnales dicuntur, Regeniti.

Ac postea. Ubi tuum acumen Augustine? Sit venia dicto. Bonus enim Philosophus non semper est Philosophus. & quandoque bonus dormitat Homerus.

Tandem ibidem. Hæ mihi justissimæ videntur causæ sententiam Augustini repudiandi, & hîc ab Augustino dormiente ad Augustinum vigilantem appellandi.

Idem Arminius.

Impugnans sententiam Augustini de Prædestinatione absoluta ante prævisa merita quam acriter ubique insectatur : elevat prorsus ejus Authoritatem, loco Celestini quo ea maxime commendatur, perperam exposito, contra communem sensum veterum Patrum Societatis, qui eo ad confirmandam Augustini doctrinam uti solent, uti ex oppositis eorum testimoniis

si non certò, constet esse ab Ecclesia definitum : tum quia cum Ecclesia tantum in hac materia detulerit Augustino, ut ejus doctrinã in damnandis erroribus Gratiæ Dei contrariis secuta fuerit, magna esset temeritas privati Doctoris qui Augustino aliquid de Gratia Dei, tanquam orthodoxù docenti cõtradicere auderet, præsertim cum tot annis, tantâ sapientiâ, tanto ingenio, tantâ diligentiâ & instantiâ : & quod caput est tot donis & auxiliis præditus pro Divina Gratia tuenda & explicanda laboraverit. Unde à fortiori fit credendum omnino esse, nihil in doctrina de Gratia Augustini inveniri, quod sano modo intelligi non possit.

Et Paulo post.

Nihil tam admirandum, & suscipiendum Ecclesiæ reddidit Augustinũ quam de Grati doctrina: at si in ea tradenda & explicanda aliquando fuisset in errorem lapsus multuũ labefactaretur ejus authoritas immerito

teſtimoniis apparet.

In Declaratione ſententiæ pag. 84. ſic.

Tantum vero abeſt ut doctrina ipſius etiam Auguſtini de Prædeſtinatione in illis Conciliis recepta ſit, ut Celeſtinus Epiſcopus Romanus, qui illo tempore vivebat, ad Epiſcopos Galliæ ſcribens & Pelagianorum doctrinas condemnans in fine ſuarvm literarum in hæc verba concludat. Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere, quia ad confitendum grâtiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt. Quod vero attinet ad regulas à Celeſtino in illa epiſtola poſitas immerito que Eccleſia tam fidenter judicium ejus in hac doctrina fuiſſet ſecuta, quod impium eſſet cogitare.

Bellarminus.

Tom. 4. de Controverſ. l. 2. c. 12. Theodorus Beza confidenter Sancti Auguſtini ſententiam rejicit. *& mox.* quanquam repudiet, ejus tamen rationem velit nolit admittere debet.

Idem tom. 4. c. 12. de Grat. & lib. arb. l. 1. c. 12.

Improbans opinionem quæ ponit Efficaciam Gratiæ in aſſenſu, & cooperatione humana. Hæc opinio aliena, *inquit*, omnino eſt à ſententia Beati Auguſtini, & quantum ego exiſtimo à ſententia etiâ Sacrarum Scripturarum. *& infra.* Deniq; hæc opinio evertit omnino fundamentum Prædeſtinationis divinæ, quam S. Auguſtinus ex Divinis litteris ſolidiſsimè comprobavit.

Et Paulo poſt.

Calvinus Auguſtini ſententiam audacter rejecit. *ideſt de Gratia non neceſſitante.*

Et cap. 14. exploſâ Lutheri et Calvini hæreſi. Neque

sitas atque etiam in præcedentibus nullis particularibus Conciliis decretas de illis nullo negotio inter nos conveniet, maximè quantum ad ea quæ pro Gratiæ adstructione necessaria sunt contra Pelagium ejusque errores. *Snnt autem tria Concilia Hierosolomytanum, Arausi.anum, Milevitanum: quæ duo continent Augustini doctrinam expressam.*

Idem Arminius.

Impugnans Electionem ex Massa damnata traditam ab Augustino.

In Examine thesium Gomari thes. 1 .

Ne hoc quidem necesse judicavit Ecclesia illius temporis ad confutandum Pelagiũ. Nam omisis illis quæ Augustinus disputarat de Prædestinatione, certis thesibus errores Pelagianorum notavit, & refutavit, absque approbatione eorum, quæ ab Augustino

Neque dubitari, *inquit*, potest *quin ista* sententia alienisima sit à mente Sancti Augustini. de cujus verbis nunc laboramus.

Id m l 2. c. 11.

De sententia Prædestinationis Absolutæ ante prævisa merita sic luculenter. In Gallia Presbiteri quidam doctrinam S. Augustini de Prædestinatione reprehenderunt. Quid autẽ Celestinus rescripserit perspicuũ est ex Epistola ejus ad Gallos, inqua inter cætera postquam magnis laudibus Sanctum Augustinum extulit, ita subjungit. Unde resistatur &c.

Vasquez.

1. *p. d.* 90. 1. *c.* 3. *n.* 15.

Si hi Doctores (*nominarat multos & graves Catholicos*) Augustino opponerentur, & Græcis, atq; Massilientibus consentirènt, non levi notâ digni essent. Augustini nanque sententia â magnis Ecclesiæ viris, & Pontificibus defensa est.

Disput. 91. *c.* 8.

Posito titulo hoc modo

Massilienses cum Cassiano & Græcis Patribus initium primæ Gratiæ & Prædestinationis ex nostro libero arbitrio esse dixerunt.

Sic

Auguſtino de Prædeſtinatione erant perſcripta.

Et Art. 21. emendat Auguſtini dictum de Prædeſtinatione Sanctorum.

Eandem reprobat art. 24.

Idem adverſus eandem.

Ibid. in Corollario.

Quòd Pelagianorum mentio fiat, non ſatis fit ſimplici & candido animo, quaſi nemo poſſit contradicere doctrinæ illorũ de Prædeſtinatione, quin ſtatim Pelagianæ doctrinæ ſit aſſecla: id enim neque verum eſt, neque ulla probabili ratione probari poteſt. Inſpiciantur Capita omnia Pelagianæ doctrinæ, prout illa in Synodis Milcuitana, Arauſi cana & Hieroſolymitana enarrantur, & condemnantur, etiam ut à Pontifice Romano Innocentio referuntur: & apparebit poſſe quempiam Pelagianam doctrinam improbare, & tamen doctrinæ iſti de Prædeſtinatione

Sic incipit Ad Maſſilienſium ſententiam perventum eſt, qui ex adverſo ſimul cum multis aliis contra Auguſtinum, ejuſq; diſcipulos & contra veritatem aperto Marte pugnarunt.

ibid. c. 11. n. 74.

Gennadius apud Catholicos & doctos non bene audit, ſiquidem de Auguſtino dicit: Multa ſcripſiſſe, & ideo in multis erraſſe, quòd in multiloquio non deſit peccatum, multaq; alia quæ in talem virum cadere non poſſunt. *& ib. n. 25.*

Gelaſius Papa per omnia Auguſtinianus. Celeſtinus Proſperi & Auguſtini doctrinam contra Caſſianũ honorifice defendit. *Et n. 76.* Singuli Canones Concilii Arauſicani, ſunt ſententiæ Auguſtini *Et n.* 81. Celeſtinus eos Maſſilienſes graviter reprehendit quod Auguſtini doctrinam, ſugillare non dubitaverint.

Suarez.

1. tomo de Gratia Prologomeno b. c. 6.

Tandem concludo non tantùm in rebus quas Auguſtinus certas exiſtimat: ſed etiam in his omnibus, quæ ſimpliciter tanquam vera,

Prædestinatione prout hisce thesibus expositа est non accedere. Quod amplius est, potuit Augustinus firmiter confutare Pelagianos & istā Prædestinationem, quam docuit omittere: quod Innocentius apertè videtur significasse postremo capite articulorū istorum, quibus condemnat Pelagianam doctrinam.

Ita contra Augustinum Arminius.

Adversus eundem Arminiani Remonstrantes.

Remonstrantes in Apolog. Exam. Censuræ Præfationis adducta sententia contraria de Prædestinatione absoluta ante prævisa merita, quæ est Augustini sic aiunt.

Quasi vero palam non sit Remonstrantes nullam humanam, nedum unius Augustini authoritatem, tanti facere, ut ejus præjudicio prægravari metuant: aut si quis Pontra, & probabiliora constanter & ubiq; amplectitur sententiam ejus esse præferendam, nisi communis Patrū vel Ecclesiæ authoritas obstare videatur, quod raro vel nunquam continget.

IDEM SUAREZ.

Tomo 2. de Gratia. l. 4. c. 18. loquens de Auxilio Sufficiente ait.

Quanvis in superioribus capitibus definitum sit Deum ex parte sua dare hominibus adultis auxilium, & interdum Augustini doctrinâ id confirmaverimus: quia eius authoritas in hac præcipue materia magna est, necessariū visū est hoc punctū separatim tractare metemq; Augustini diligēter inquirere.

IDEM.

In eodem tomo. lib. 5. in præludio agens de Gratia Efficaci.

Quod quia inquit *obscurum & difficillimū est, magna est his temporibus inter Catholicos Doctores controversia, quam eà moderatione tractare curabimus, vt sine vlla nota aut censurà opinionis alicujus, quid verū & definitionibus Conciliorū et doctrinæ Augustini magis consentaniū esse videtur simpliciter proponamus.*

BELLARMINUS.

To. 4. l. 2. c. 10. de Grat. & lib. arb.

Pontificium fermentum adhuc re dolens iſto argumento pugnàre velit, eos eodem illo non tantum libenter pugnaſſe, ſed & feliciter de adverſariis ſuis triumphaſſe.

Et ſtatim. Adeo Auguſtini authoritas apud ſummos infimoſque hodie invalvit, ut Pelagii ſententia non amplius expendatur ut vera ſit, ſed eo ipſo falſa credatur quia Pelagii eſt, & ab Auguſtino damnata.

Imo vero quod multo pejus eſt, ut ſententia omnis remotisſima licet ſit ab erroribus Pelagii, eo ipſo ut Pelagiana damnanda cenſeatur, quod Auguſtinum patronum non habeat. Nemo id neſcit, & qui id cum dolore non animadvertit, næ is parum intelligit, quam profunde adhuc hæreat in veteri luto. Cenſorem hunc tantum vide. In omnibus quæ contra Remonſtrantes edidit ſcriptis nihil pene aliud crepat ex Patrum ſcriptis quam unius Auguſtini formulas & ὁμοιοτέλευτα

Galli reſpondebant fuiſſe quidem à Pontifice commendatã S. Auguſtini doctrinam, ſed non approbatos in ſpecie libros illos duos de Prædeſtinatione Sanctorum & de bono Perſeverantiæ. Contrà S. Proſper lib. contra Collat. extremo demonſtrat Pontificè non potuiſſe hos libros non approbare cũ Auguſtini doctrinam probaverit, & hi libri à cæteris non diſſentiant: nam ſententia de Prædeſtinatione gratuita quæ in his libris accurate defenditur diſertis verbis habètur etiam in Enchiridio in Epiſt. 105. ad Sixtum. & Epiſt. 106. ad Paulinum.

Pergit: *deinde Celeſtinus in ea epiſtola c. 2. ita laudat Auguſtinum ut dicat Eum ſemper habitum a Romana Eccleſia pro Magiſtro optimo & nunquam eum fuiſſe ſaltem rumore ſiniſtræ ſuſpicionis aſperſum. At quomodo iſta dicere potuiſſet Celeſtinus, ſi Auguſtinus falſo ſcripſiſſet fidem Prædeſtinationis in Eccleſia Catholica ſemper fuiſſe: & contra eam neminem niſi errando diſputare potuiſſe? Nam ſi Auguſtini de Prædeſtinatione ſententia falſa eſſet, non poſſet idem Auguſtinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non ſolum tam aciter, pro falſitate certaſſet, ſed etiam eam*

pro

γέλευτα. Et mirificè sibi placet quando authoritate ejus aut sententiolâ aliquâ a reliquo Scriptorum ejus corpore avulsa, tanquam amentato aliquo telo, pugnare se posse crèdit.

Tum queruntur quod unus Augustinus pluris cæteris omnibus Patribus fiat, idque à Pontificiis ideò Catholicis Romanis. Igitur Cæteri, *aiunt Remonstrantes* Patres imprimis, quos prior & purior Antiquitas vidit lordent præ Augustino. Quibus gemina germana videre est in scriptis omnium qui de controversia Prædestinationis disputant non Pontificiorum tantum, quibus id condonari posset, sed Reformatorum etiam qui vocantur pœnitendo sanè errore ac stupore.

Paulo post impugnant Athanasium, & Papam Romanumque Papatum execrantur.

pro Fide Catholica vèditare ausus esset. Quomodo igitur Celestinus eos qui pro hac re Augustinum temeritatis et errores damnabant, ita reprehendit, vt dicat nefas esse talia audire: nisi hanc ipsam de Prædestinatione doctrinam secundum Augustini sententiam veram esse credidisset.

Vasquez Disput. 91. c. 11 n. 93. Impugnans Scholiasten Cassiani. *Necesse est dicat Scholiastes Prosperum, Hilarium, Augustinum, imo & Concilium ipsum Arausicanum Secundum, & Celestinum debitum modum excessisse, & nimium severe de Gratia Dei fuisse locutos. Quod est absurdum.*

Idem disput. 97. c. 6. n. 35.

Loquens de Canone Tridentini ait. Non decernit, *inquit*, Concilium, & fortassis contra Augustini opinionem nihil definire voluit.

Et disput. 98 c. 1. n. 1. in gravi quæstione de duobus æquali Gratia excitatis sic.

Res hac paucis ante annis in controversia revocata: & licet ab antiquioribus tractata non sit, apud Augustinũ tamen qui de necessitate Gratiæ differens nullum lapidem in tentatũ reliquit præclara de illa extat sententia, quâ si

In

rectè

In Exam. cap. 5. cum Auguſtino ſentire dicit Pontificios & Calviniſtas.

Remonſtrantes.

In Examine c. 6.

Auguſtinum Authorem Hæreſeos Prædeſtinatianorum faciunt. Itaque commemoratis ejus Authoribus.

Veriſimile eſt non voluiſſe eos fugillare ſententiam Auguſtini. Sed eum genuinis ſuis coloribus exprimere ac depingere. Nec enim ignotum eſſe poteſt iſtis ipſis conſequentiis Auguſtini ſententiam olim pene ab omnibus ejus adverſariis gravatam fuiſſe. Idque citatis verbis Semipelagianorum ex Epiſt. Proſperi conantur oſtendere. Idem exam. c. 7. Auguſtinianæ doctrinæ partem de Pæna Originalis Peccati rejiciunt.

Iidem Remonſtrantes in Exam. c. 10. ponentes ex ſententia Semipelagianorum initium meriti in natura oppoſito ſibi Auguſtino aiunt.

Quæ rectè intellexerimus, duobus extremis opinionibus rejectis, mediâ viâ inoffenſo pede curremus.

Idem in 1. 2. *d.* 185. *c.* 6. *n.* 1. *Repetit quæ dixerat* 1. *p. d.* 88. *c.* 6. de mirabili ingenio Auguſtini. *Et d.* 181. *c.* 5. *citatis Concilio Milevitano & Arauſicano ait.*

Cùm horum Conciliorum Definitiones ex doctrina Auguſtini deſumptæ fuerint, ipſe enim magna pars Concilii Milevitani fuit.

SUAREZ.

Tomo 2. *de Grat. cap.* 5. *in titulo ſic.*

Utrum Auxilium Efficax ſit Excitans, ſeu in aliqua excitatione poſitũ, præſertim juxta mentem Auguſtini. *Et in toto illo capite ſuam ſententiam Auguſtini teſtimoniis confirmat.*

Idem l. 5 *c.* 44. *n.* 1.

Ut veritatem lucidius oſtendamus, & lectoris faſtidium levemus, in tres claſſes Patres a quibus argumentum ſumimus diſtinguimus. In prima ponimus eos, qui vel Auguſtinum præceſſerunt, vel uſque ad ejus tempora vixerunt, & ab eo doctrinam ejus de Gratia vix legere potuerunt. In ſecunda ſolum Auguſtinum ipſum conſtituimus

Quæ ex Auguſtino & Lactantio citantur ea tanti non ſunt, ut propter ea laborandum ſit.

At c. 11. præponentes in expoſitione cap 7. ad Romanos judicium Arminii judicio Auguſtini inquiunt. *Solus pene Auguſtinus contrariæ ſententiæ princeps eſt.* & pro ſe citant contra Auguſtinum Eraſmum, Caſtellionem, Bucerum, Muſculum.

Rurſum c. 14. *Mirum eſt ſi Cenſores hîc Auguſtinum ſuum, quem tantum non adorant, in hoc de Prædeſtinatione articulo à ſe peti non ſentiant.*

IIDEM *c.* 17.

Gratiam Efficacem ex abſoluto decreto omnes Patres tam Græci quam Latini, uno forte Auguſtino excepto, de cujus tamen ſententiâ lis adhuc ſub judice eſt.

Idem adverſus Auguſtini definitionem de Prædeſtinatione ſic c. 18.

Definitio Auguſtini eſt, non Scripturæ. Sed quid ad nos ſtituimus tanquam præcipium Gratiæ Dei propugnatorem. In tertia ponimus ſubſequentes Patrit qui Auguſtinù imitati ſunt.

Idem ibid. c. 46.

Suam ſententiam probat ſolius authoritate Auguſtini & c. 41. *ait.* Reſpondemus nullum inveniri apud Auguſtinum teſtimonium in quo id doceat, vel ex quo ſatis probabili conjecturâ talis mens Auguſtini colligi poſit.

BELLARMINUS.

Tomo 4. *de Grat. & lib. arbit. lib.* 2 *c.* 11.

Poſt Celeſtini tempora cum nondù factio illa Gallorù conquieſceret, S. Leo Pontifex miſit ad Concilium Arauſicanum certa Capitula de Gratia & libero arbitrio ex libris Sancti Auguſtini verbatim decerpta, quæ voluit ab Epiſcopis illis recipi, & ſubſcribi ut etiam factum eſt.

Et addit. S. Gelaſius in Concilio 70 Epiſcoporum non ſolum probavit omnia ſcripta Auguſtini, et S. Proſperi, ſed etiam contra damnavit libellos Joannis Caſſiani, et Fauſti Rhegienſis : cum tamen non ignoraret potiſſimam contentionem

nos Auguſtini definitiones, quem certum eſt peculiare placitum habuiſſe in hac materia, quod in nulla Synodo unquam approbatum, imo in variis aperte rejectum & condemnatum.

Iidem cap. 23.

De neceſsitate Baptiſmi Infantium quam negant agentes inquiunt.

Primus Auguſtinus fundamentum neceſsitatis hujus poſuiſſe dici poteſt, poſtquam cum Pelagio collidi cæpit. Eo uſque enim fervore contentionis abreptus fuit, ut infantes, ſine baptiſmo decedentes certo ſuppliciis æternis quanquam levioribus addictos eſſe pronuntiaverit.

Iidem c. 25.

De alia ſententia Auguſtini ita judicant.

Quæ conſequentiæ ratio? Auguſtinus ita judicavit: ergo qui contra ſentiunt verum non dicunt. Quaſi vero tanti tentionē inter Proſperum & Caſſianum, ac deinde inter Fulgentium & Fauſtum de ſcriptis Sancti Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum & Bono Perſeverantiæ fuiſſe. Itaque Sedes Apoſtolica non tantum ſemel, ſed etiam ſecundo & tertio adverſus Pelagianorum reliquias pro defenſoribus Gratiæ & Prædeſtinationis ſententiam tulit.

Idem l. 5. c. 27.

Utinam adverſarii vel unius Sancti Auguſtini judicio acquieſcere vellent. Res enim tota facilè componeretur.

Idem. lib. 1. de Juſtif. c. 21.

Etſi nulla *inquit*, eſſet ratio, authoritas omniù Patrum, præſertim Sancti Auguſtini omnino ſufficere nobis deberet. *Et ſtatim.* Sanctus Auguſtinus Præcipuus Gratiæ defenſor.

Vaſquez. in 1. 2. diſput. 189. c. 10.

Audiamus, *inquit*, Auguſtinum acerrimum hujus doctrinæ defenſorem, ideſt de neceſsitate Gratiæ Chriſti. *& ib. n. 73.* Pulchra ſane inductio, & Auguſtini ingenio digna. *Et d. 109. c. 7. n. 54.*

Ex Auguſtini ſcriptis Patres & Con-

ti sit authoritas Augustini in re tam magni momenti. Et addunt ad finem periodi. Non libet stramineis hujusmodi authoritatibus litem protelare.

Iidem Remonstrantes.

In Præfatione acerrime Augustinum insectantur, quod Prædestinationem absolutam ante prævisionem meritorum & Gratiam suapte vi efficacem posuerit quam Remonstrantes Fatalitatè *& Scholam Augustinianam* Fatalem Sectam *vocant. & ea prætextu libertatis tuentur.*

Aiunt igitur.

Quid clarius? quid apertius? quam quos Fatalitatis opinio apta nata est eximere mortalium animis stimulos ad pietatem eos libertatis veræ patrocinium subdere? Si liber es, debes ac potes bona ac bene agere. Si non bene agis, iure puniris. Si bene agis, jure præmio afficeris. Tam certa est hæc veritas ut nec Doctorum Schola nec indoctorum turba dissentiat. Superfluus labor est, ut rectè olim Concilia qui contra Pelagiũ disputarunt Catholicam doctrinam tanquam è limpidisimis Fontibus superstites hauserunt.

Idem d. 190, *c.* 18. *n.* 181.

Excusans aliquas propositiones Baij inquit.

Enitendum est alio modo prædictæ Bullæ damnationem interpretari, ne Augustini sententia cuiquam damnata videatur: quæ in præsente materia à Celestino 1. in sua 1. Epistola mirum in modum commendata & approbata fuit, & omnibus retro seculis miris laudibus celebrata. *Et disp.* 181. *c.* 3. *n.* 1. *agens de merito de congruo ait.* Unus Augustinus sufficere debuisset, ut omni suspicione & metu deposito &c.

De Vasquio Collegis sui Complutensis judicium. Tom. 2. *in* 1. 2. *Præfat. ad lectorem.* Fuit studiosisimus B. Augustini: & cum in reliquis Augustinianus fuerit semper: hic Augustinus ipse, vel si piget Augustinum dicere: Augustini dicito mentem aut linguam.

Sanè ubique Vasquio (*authore me*) Omnia est Augustinus.

Tom. 2. *d. Grat. c.* 41. *n.* 3.

Li-

lim Sanctissimi Gallia Episcopi (*idest Semi-Pelagiani*) Augustino opponebant: Si neq; rejectus ullâ industriâ potest intrare, neq; electus ullâ negligentiâ potest excidere. Quoquo enim modo se egerint non potest aliud erga eos quã Definivit accidere: & sub incerta spe, cursus non potest esse constans, cum si aliud habeat Prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio.

Quæ sunt verba Semi-Pelagianorum in Epistola Prosperi ad Augustinum. His utuntur Remonstrantes in illa sua Præfatione, in qua Papæ authoritatem impugnare conantur: nemo est enim Augustini adversarius qui Ecclesiæ hostis non sit. Tam est cum Ecclesia Catholica Augustinus conjunctus ut qui alterum petat, utrunque petat necesse sit.

Suarez

Citans Concilium Arausicanum Concilium, *inquit*, loquitur imitando Scripturam, & proximè imitatur Augustinum.

In eodem lib. 5. c. 42. n. 3.

Canones Arausicani Concilij sunt ex doctrina Augustini.

Quanti sit Augusti ni authoritas docet Suarez tito illo opere de Gratia, cuã semper omnia ex Augustini judicio suspendat: ac ejus arbitrio stare omnes disputantes velit.

Itaque l. 5. c. 47. sic ait.

Non semel sed sæpius totam Augustini doctrinam evoluimus, non quidem ex præjudicio, & animo defendendi propriam sententiam, sed omnino inveniendi mente eius, nihil que occultandi, quod ad illam indagandam conducere posse videatur.

Sic Hæretici. *Sic Catholici.*

De *Augustino* Sentiunt.

LIBRA.

Prædestinationis & Gratiæ.

Lanx Arminiana.	*Æquamentum Augustini.*	Lanx Calviniana.
I.	I.	I.
DEus non absoluto Decreto, sed nixo præscientiâ Fidei, & meritorum, Fideles & Bonos prædestinavit ad vitam, Incredulos & malos damnavit ad mortẽ sempiternã. Arminius in Declar. sentent. et in resp. ad 31. artic. art. 4. & in novem quæst. & Collat. cum Junio. & in exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes. in Synod. a. 1. de Prædest. & in Apolog. in Præf. & in exam c. 5 & 9.	DEus supposito Peccato Adæ, ex massa damnata, nullis prævisis meritis, absoluto Decreto quosdam ex misericordia Prædestinavit: quosdam permissione, a d justitiam in damnatione dereliquit. August. lib de Prædest. Sanct. & lib. de Bono perseu. lib. de natura & Grat. lib. de Corrept. & Grat. in Enchirid & sæpe. vide Cortinam nostram princ: 2. & 3. & Conclusiones. a v. usque ad xv. & tract. 4. in earum probatione Sectatores invenies.	*DEus ante omne Decretũ de re aliqua supernaturali: & citra ullam prævisionem Peccati sive Originalis, sive Actualis, absoluto Decreto quosdam prædestinavit ad Gloriam: quosdam destinavit ad mortem æternam. Calvinus lib. 3. institution. Beza. in Colloq. Mombelgart. & adversus calum. nebulonis. Perkinsus. in libello de Prædest.*
II.	II.	II.
DEus habuit voluntatem Generalem antecedentem salvandi omnes homines nemine excepto: juxta illud Pauli Deus vult omnes homines salvos fieri. *Arminius in respons. ad Artic. a. 4. ad*	DEus habuit voluntatem salvandi ex omni hominum genere aliquos: sed non singulos generum. Nonnullos prævisо peccato originali dereliquit. Damnatio voluntarium vel in se vel in alio peccatum est consecuta.	*DEus non habuit voluntatem salvandi omnes: imo ante ullius prævisionem peccati absolute voluit aliquos perire: & in peccatum & pœnam contrusit, ut damnarentur. Calvinus 1 Timoth. 2. & 1: institit.*

ad 9. & in quæſtion. novem. & in Exam. Prædeſt. Perkins. Remonſtrantes in Synod. de Prædeſt & de Grat. converſion. & in Apol. exam. c. 5. 8. 9. 17, 18, 19.

III.

Ratio diſcretiva inter Electos, & Reprobos ſumitur ex uſu præviſo liberi arbitrij cum oblata communi Gratia operaturi, vel non operaturi: ac ſecundum hujuſmodi ſcientiam facta fuit Electio & Reprobatio.

Arminius in quæſt. novem. & collat. cum Junio. & in Exam Prædeſt. Perkins. p. 1. fol. 522 & 2. p. f. 591. & 604. 605. Remonſtrantes in Synodal. art. de Prædeſtin. & in Apologia in Exam. cenſura c. 7. 9. 11. & præcipue 18. ubi impugnant Auguſtini ſententiam, f. 194. Quid ad nos *inquiunt* Auguſtini definitiones?

IV.

Libertas Arbitrij in Indifferentia, & æqua

Auguſtinus in Enchir. lib de Prædeſt. Sanct. lib. de Corrept & Grat. Epiſt. 106, & 107. vide Cortinam princip. 1. & 2. & concluſ. 8. ad 16. & probationes earum. & Scriniũ hoc noſtrũ. àc. 13.

III.

Ratio diſcernendi Prædeſtinatos a Reprobis in maſſa damnata, eſt libera voluntas Dei eligentis hos præ alijs cum omnes indignos videret, nullâ ratione meriti attentâ vel præviſâ tanquam motivo eligendi. Ex miſericordia elegit quos voluit: cæteros ex juſtitia in eodem quo erant ſtatu dereliquit. Auguſtinus lib: de Prædeſtin. Sanct. c. 6. 14, 15. 19. lib. de Bono Perſcu. a. c. 9. ad 12. in Enchir. Epiſt. 105, 106, 107. Sermone 17. de verb. Apoſt. & alibi. ſæpe. vide Cortinam in Princip. 2, & 3. & in Concl. a Concl. 5. ad 16. Ita de Auguſtino ſentiunt Thomiſtæ & ex Jeſuitis Bellarm. Ruiſius, & Suarius.

IV.

Libertas Arbitrij humani in ſtatu Integritatis

ſtit. c. 18. & l. 3. c. 23. & in Antidote. & Beza in Colloquio Mombelgard. tenuit Melanction in c. 8. Epiſt. ad Romanos Zuinglius. Serm. de Provid. ad Cattorum Principem. cap. 6.

III.

Nulla eſt ratio diſcretiva Electorum à Reprobis niſi abſoluta voluntas Dei volentis quoſdam condere ut ſalventur, quoſdam ut damnentur, ante ullam præviſionem Peccati, nullâ hujus ad reprobandum habitâ ratione. Calvinus lib. 1. inſtit. c. 18. & lib. 3. c. 21, 22, 23. Beza tract. de Prædeſt. contra Caſtellionem. & in Notis majoribus ad Caput ad Roman. Zanchium. Piſcatorem. Perkinſium, Gomarum, Maccovium citant Remonſtrantes in Examine Cenſuræ c. 5. Conſentit cum Calvino Molinæus in Anatome Arminianiſmi.

IV.

Libertas Arbitrij in ſtatu naturæ integræ indiffe-

qua in utranque partem potestate consistit: eâque sublatâ corruit libertas: quæ in Æquilibrio posita paribus momentis in oppositas partes libratur.

Arminius in resp. ad art. poster. a. 2. & 7. & in Exam. Prædest. Perkins. parte ult. fol. 604, & 605. Remonstrantes in Apolog. in Exam. 1, 2. 6, 7. & 17. & in Collat. Hagien. art. de Conversione.

V.

Liberum Arbitrium in statu Ruinæ ex se solo potest bonos aliquos actus morales operari: qui & etsi proprie non disponant ad Gratiã, præbent tamen Deo occasionem vocandi ad Fidem, & Gratiam rectè operantes: aut minus malè operantes.

Arminius in respons. ad 31. art. art. 13. & 16. & in exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes in Collat. Hagien. de Elect. et Redempt: & in Synod. Art. de Prædest. & de Grat: art: 2. & in Apolog. in Exam. Cens. c. 10. & 17.

tatis posita in æquilibrio Indifferentiæ: Instatu ruinæ amisso æquilibrio Indifferentiæ vergit in malum citra necessitatem, & per Gratiam inclinatur in bonum retenta semper libera potestate, exclusâ non solum coactione, sed etiam necessitate inevitabili, qua cum libertas stare non potest.

Augustinus multis in locis quos adduximus in Cort. concl. 80. & in probat. eatũ, & expendimus ibid. quæst. de libert. & necessit. peccandi. & in Mente Innocentij art. 4. & præcipue 5.

V.

NOn omnia opera facta a non Justificatis, sive Infidelibus sunt Peccata: quæ tamen sine ulla illuminatione Fidei Inchoatâ fiunt, Peccata sunt. Quare in nullo actu merè naturali aut conditio, aut occasio ad consequendam supernaturalem Gratiam reperitur.

Augustinus varijs in locis a nobis in Cortina citatis. Princ. vj. vij. & Concl. 35. ad 46. & in propr. quæst. 2. & hic in Scrinio. art, 11. 12. & 14.

indifferentiam habuit in statu ruinæ in necessitatem transiit, atque adeo est titulus sine re. Sola restat libertas à coactione: & hæc satis est ad libertatem retinendam.

Calvinus l. 1. inst. c. 15. & l. 2. c. 2. & in Antid. ad Can. 5. Sessi. 6. & l. 2. cont. Pigh. Synod. Dordrect. Pag. 206, & 207. Molinæus in Clyp. Fidei ad art. 9. Chamier. to. 3. l. 2. c. 1.

V.

NEmo ante Fidem & Gratiam justificantem opus aliquod bonum potest efficere. Quæcunq; quis agit, ea omnia peccata sunt.

Calvinus lib. 3. Instit. c. 14. Parag. 4, 5. & in Antidoto Trident. Sess. 6. in Can. 7. Chamierus to. 3. lib. 9. c. 13. cum Philippo in Apolog. Confess. August. & Kemnitio in Examine Conc. Trident. Sess. 6. Can. 7.

VI.

Duo sunt Auxilia Gratiæ: Sufficiens, & Efficax: non suâ intrinsecâ virtute; sed effectu distincta: qui pendet à libero Arbitrio, in cujus est Gratia potestate.

Arminius in Declar. sent: & in respons. ad art. a. 8. ex prim. & 7. & 8. ex secund. & in 1. p. Exam. Prædest. Perkins: & in p. 2. fol. 604, et 605. et Remonstrantes in Synod. art. de Grat. Dei. *et in Apol. exam. Cens. c. 2. 6. et omnino perspicue. c. 17. fol. 164. &c.*

VII.

Omnis Gratia Excitans est ex se indifferens, et indifferenti Arbitrio relicta, quod pro suo libito Gratiâ accipit, rejicitve: ita ut hæc sit in utrumque partem Vertibilis.

Armin. ubi supra, et Remonstrantes citati.

VIII.

Gratia Efficax est non a forma sua sive ex se; sed ex modo procedendi quo

VI.

Duo sunt Gratiæ Adjutoria. Alterum Efficax. Alterum Inefficax: quod est remote Sufficiens: intrinsece diversa, & diverso modo afficientia voluntatem; uni semper resistitur, alteri nunquam, etsi resisti possit a voluntate.

Augustinus in Cortina nostra. Concluſ. 50: ad 58. & 6. ad 79. & quæstione 3. & hic in Scrinio. cap. 7, 8, & 9. ubi multi loci citantur, & in mente Innocentii art. 1. & 2.

VII.

Omnis Gratia Excitans movet voluntatem. Inefficax indifferentem relinquit. Efficax trahit & inclinat sublatâ indifferentiâ, servatâ libertate nec *Vertibilis*, nec *Irresistibilis*, sed *Victrix*.

Augustinus in locis supra adductis.

VIII.

Gratiæ Efficacia consistit in propria virtute intrinseca antecedenter movente, & trahente voluntatem

VI.

Unum solum est Auxilium Gratiæ, ideſt Efficax agens ne necessario arbitrium, et efficiens consensum voluntatis virtute impressâ, cui nequit resisti.

Calvinus in Antid. Trident. ad Sess. 6. Parag. Porro. *et lib. 5. cont. Pigh. pag. 183. et 204. et Synodus Dordracena pag. 795. et Chamierus. to. 3. c. 5. et Beza adversus Castellionem. pag. 457. et Paræus. lib. 2. de lib. arbit. c. 2. et in actis Synod. Dordracena pag. 305.*

VII.

Nulla Excitans Gratia liberum, nedum Indifferens relinquit arbitrium: omnis ea necessitatem affert voluntati, ac est omnino Irresistibilis.

Calvinus proxime, cum alijs citatus.

VIII.

Efficacia Gratiæ consistit in quadâ vi intrinseca necessitante voluntatem ad consensum

quo Deus utitur qui fundatur in prænotione Dei, qua præscit infallibiliter Gratiam, si isto tempore, tali loco, cum talibus circunstantijs offeratur, certissime effectum sortituram. *His eam verbis definiunt Remonstrantes in Apologia. Exam. Censura. c. 17. fol. 164. verso. Sumpta est definitio ex Arminio in Examine Prædestin. Perkinsiana. fol. 604.*

IX.

EO tantum distinguitur Gratia Sufficiens ab Efficaci: quòd Sufficiens datur cum prænoscitur non habitura effectum, Efficax cum præscitur habitura.

Arminius in Declar. sent. & quæst. novem & in Exam. Prædest. Perkins. & Remonstrantes in Synodal. art. de Conversione. in Apolog. in Exam. c. 17.

X.

POsitâ in voluntate Gratiâ Efficaci, manet adhuc in voluntate libertas Indifferentiæ in utranque partem æque flexibilis.

Arminius in Declar. suæ sententiæ. & in respons. ad 31. art. & in Exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes in Apolog. Exam. Censura. c. 7. 9. & 17. & in Collat. Hag. art. de Convers.

Consensus

luntatem: quæ ineffabili victa dulcedine libere cooperatur, sequens ductum Gratiæ trahentis.

Ita Augustinus sæpè uti nos in Cortina nostra Princ. 9. & 10. & in Conclus. à concl. 52. ad 38. & 66. ad 77. & in probat. earum. & q. 3. & in Mente Innocentij a. 3, 4. & 5. & lib. 1. de Adjutor. & in Scrinio. hic. c. 7. & 8. ubi locos Augustini multos perspicuosque adduximus.

IX.

ILlud interest inter has duas Gratias, quòd Sufficiens est remissa, & parvas & infirmas efficit voluntates: Efficax Intensa & vehemens robustas & validas Efficiens voluntates.

Sic Augustinus manifestè lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 15, 16, 17. & ser. 3. de verb. Apost. & lib. de Spir. & lit. vide nostrum Scrinium c. 7. & 8. & mentem Innocent. a. 3.

X.

VOluntas præmota Gratiâ Efficaci vehementer afficitur, & Inclinatur citra necessitatem; & amisso æquilibrio Indifferentiæ, retinet libertatem Resistentiæ.

Ita nos docuit August. in Cort. a concl. 66 ad 8. & concl. 85. & in mente Innocent. art. 5. & hic in Scrinio. c. 6. & 7. & 8. plurimis ejusdem Augustini testimonis citatis.

Volunats

sum quæ nullum motum liberum arbiario relinquit propter vehementem & omnipotentem tractionem.

Hæc est definitio Calvini & Contra Remonstrantium. lib. 2. instit. c. 3. & in Antidoto Sess. 6. & in Specimine Anstoldam. & statuitur in Synodo Dordracena art. 8. 12. &c. & Chamierus tom. 3. l. 2. c. 4.

IX.

GRatiarum distinctio post Peccatum Adæ nulla est, quia nulla est Gratia nisi Efficax. Quæ tamen distinguitur à Gratia primi hominis: quòd hæc non necessitabat voluntatem Adæ, hæc nostras necessitat voluntates.

Calvinus l. 2 instit. c. 3. 33. n. 10. & 13. & in Antid. Trident. Sess. 6. & lib. 5. contra Pighium & Scharpius lib. de lib. art. c. 3.

X.

PEr Gratiam Efficacem tollitur, non modo Indifferentia, sed etiam tota potestas voluntatis ad resistendum: atque adeo libertas. Calvinus l. 2. instit. c. 3. & in Antid. Trid. Sess. 6. & Synod. Dordracena. art. 8. & 12. Chamierus tom. 3. l. 2. c. 4. Molinæus in Arat. Scarp. lib. de lib. art. 6. 3

Consensus

VI.

Duo sunt Auxilia Gratiæ: Sufficiens, & Efficax: non suâ intrinsecâ virtute; sed effectu distincta: qui pendet à libero Arbitrio, in cujus est Gratia potestate.

Arminius in Declar. sent: & in respons. ad art. a. 8. ex prim. & 7. & 8. ex secund. & in 1. p. Exam. Prædest. Perkins: & in p. 2. fol. 604, et 605. et Remonstrantes in Synod. art. de Grat. Dei. *et in Apol. exam. Cens. c. 2. 6. et omnino perspicue. c. 17. fol. 164. &c.*

VII.

Omnis Gratia Excitans est ex se indifferens, et indifferenti Arbitrio relicta, quod pro suo libito Gratiã accipit, rejicitve: ita vt hæc sit in vtrumque partem Vertibilis.

Armin. vbi supra, et Remonstrantes citati.

VIII.

Gratia Efficax est non a forma sua sive ex se; sed ex modo procedendi quo

VI.

Duo sunt Gratiæ Adjutoria. Alterum Efficax. Alterum Inefficax: quod est remote Sufficiens: intrinsece diversa, & diverso modo afficientia voluntatem; uni semper resistitur, alteri nunquam, etsi resisti possit a voluntate.

Augustinus in Cortina nostra. Conclus. 50: ad 58. & 6. ad 79. & quæstione 3. & hic in Scrinio. cap. 7, 8, & 9. ubi multi loci citantur, & in mente Innocentii art. 1. & 2.

VII.

Omnis Gratia Excitans movet voluntatem. Inefficax indifferentem relinquit. Efficax trahit & inclinat sublatâ indifferentiâ, servatâ libertate nec *Vertibilis*, nec *Irresistibilis*, sed *Victrix*.

Augustinus in locis supra adductis.

VIII.

Gratiæ Efficacia consistit in propria virtute intrinseca antecedenter movente, & trahente voluntatem

VI.

Vnum solum est Auxilium Gratiæ, ideſt Efficax agens ne necessario arbitrium, et efficiens consensum voluntatis virtute impressâ, cui nequit resisti.

Calvinus in Antid. Trident. ad Sess. 6. Parag. Porro. *et lib. 5. cont. Pigh. pag. 183. et 204. et Synodus Dordracena pag. 795. et Chamierus. to. 3. c. 5. et Beza adversus Castellionem. pag. 457. et Præus. lib. 2. de lib. arbit. c. 2. et in actis Synod. Dordracenæ pag. 305.*

VII.

Vlla Excitans Gratia liberum, ne dum Indifferens relinquit arbitrium: omnis ea necessitatem affert voluntati, ac est omnino Irresistibilis.

Calvinus proxime, cum alijs citatus.

VIII.

Efficacia Gratiæ consistit in quadã vi intrinseca necessitante voluntatem ad consensum

quo Deus utitur qui fundatur in prænotione Dei, qua præscit infallibiliter Gratiam, si isto tempore, tali loco, cum talibus circunstantijs offeratur, certissime effectum sortituram. *His eam verbis definiunt Remonstrantes in Apologia. Exam. Censura. c. 17. fol. 164. verso. Sumpta est definitio ex Arminio in Examine Prædestin. Perkinsiana. fol. 604.*

IX.

EO tantum distinguitur Gratia Sufficiens ab Efficaci: quòd Sufficiens datur cum præscitur non habitura effectum, Efficax cum præscitur habitura.

Arminius in Declar. sent. & quæst. novem & in Exam. Prædest. Perkins. & Remonstrantes in Synodal. art. de Conversione. in Apolog. in Exam. c. 17.

X.

POsitâ in voluntate Gratiâ Efficaci, manet adhuc in voluntate libertas Indifferentiæ in utranque partem æque flexibilis.

Arminius in Declar. suæ sententiæ. & in respons. ad 31. art. & in Exam. Prædest. Perkins. Remonstrantes in Apolog. Exam. Censura. c. 7. 9. & 17. & in Collat. Hag. art. de Convers.

Consensus

luntatem: quæ ineffabili victa dulcedine libere cooperatur, sequens ductum Gratiæ trahentis.

Ita Augustinus sæpè uti nos in Cortina nostra Princ. 9. & 10. & in Conclus. à concl. 52. ad 38. & 66. ad 77. & in probat. earum. & q. 3. & in Mente Innocentij a. 3, 4. & 5. & lib. 1. de Adjutor. & in Scrinio. hic. c. 7. & 8. ubi locos Augustini multos perspicuosque adduximus.

IX.

ILlud interest inter has duas Gratias, quòd Sufficiens est remissa, & parvas & infirmas efficit voluntates: Efficax Intensa & vehemens robustas & validas Efficiens voluntates.

Sic Augustinus manifestè lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 15, 16, 17. & ser. 3. de verb. Apost. & lib. de Spir. & lit. vide nostrum Scrinium c. 7. & 8. & mentem Innocent. a. 3.

X.

VOluntas præmota Gratiâ Efficaci vehementer afficitur, & Inclinatur citra necessitatem; & amisso æquilibrio Indifferentiæ, retinet libertatem Resistentiæ.

Ita nos docuit August. in Cort. a concl. 66 ad 8. & concl. 85. & in mente Innocent. art. 5. & hic in Scrinio. c. 6. & 7. & 8. plurimis ejusdem Augustini testimonis citatis.

Volunats

sum quæ nullum motum liberum arbiario relinquit propter vehementem & omnipotentem tractionem.

Hæc est definitio Calvini & Contra Remonstrantium. lib. 2. instit. c. 3. & in Antidoto Sess. 6. & in Specimine Anstoldam. & statuitur in Synodo Dordracena art. 8: 12. &c. & Chamierus tom. 3. l. 2. c. 4.

IX.

GRatiarum distinctio post Peccatum Adæ nulla est, quia nulla est Gratia nisi Efficax. Quæ tamen distinguitur à Gratia primi hominis: quòd hæc non necessitabat voluntatem Adæ, hæc nostras necessitat voluntates.

Calvinus l. 2 instit. c. 3. 33. n. 10. & 13. & in Antid. Trident. Sess. 6. & lib. 5. contra Pighium & Scharpius lib. de lib. art. c. 3.

X.

PEr Gratiam Efficacem tollitur, non modo Indifferentia, sed etiam tota potestas voluntatis ad resistendum: atque adeo libertas. Calvinus l. 2. instit. c. 3. & in Antid. Trid. Sess. 6. & Synod. Dordracena. art. 8. & 12. Chamierus tom. 3. l. 2 c. 4. Molinæus in Arat. Scarp. lib. de lib. art. 6. 3

Consensus

XI.

Conſenſus voluntatis ab ea & à Gratia tanquam a partialibus cauſis procedit: & ab humana cooperatione Efficacia Gratiæ tanquam à partiali cauſâ dependet.

Arminius etſi ambigue in reſponſ. ad. art. art. 7. & in Exam. Prædeſt. Perkins. At Remonſtrantes perſpicuè in Apolog. Exam. cap. 17. & in Synodal. art. de Grat. convers.

XI.

Voluntas affecta Gratiâ Efficaci non ex æquo cum ea operationem cauſæ partitur; ſed cooperans cum operante prius & mox cooperante Gratia ita libere conſentit, ut primas partes det Gratiæ præmouenti; & totum Deo bonum aſſignet.

Auguſtinus Locis in Cort. citat 6. ad Conclus. 50. & 66. ad 81. & in mente Innocentij art. 3. & 5. & hic in Scrinio c. 6. 7. 8.

XI.

Conſenſus voluntatis ita eſt à Gratia Efficace ut non ſit in poteſtate voluntatis, quæ impreſſa vi neceſſitante tantum non coactè operatur.

Calvinus in Antid. ad Seſſ. 6. & lib. 5. contra Pighium pag. 183. & pa. 204. Beza adverſus Caſtill. pag. 457. Paræus l. 2. de lib. arb. c. 2. Chamierus tom. 3. c. 5.

XII.

EX duobus æquali Gratiâ excitatis, cur unus conſentit alter diſſentiat ratio in Arbitrij libertatem reſoluitur. Sequitur ex Arminij & Remonſtrantium ſententia locis proxime citatis.

XII.

Conſentienti ſemper datur major Gratia, quam diſſentienti. Ita Peccati ratio in Arbitrium: Boni operis in Gratiam reſoluitur. Servata utrinque libertate.

Auguſtinus in operibus adductis.

XII.

Tum qui benè ex Gratia operatur, tum qui ſine Gratia peccat neceſſario agit. Peccans. ex corrupta natura, Rectè agens ex compulſione Gratiæ.

Calvinus ubi ſupra, & cum eo Calviniani.

XIII.

GRatia Sufficiens omnibus nemine excepto hominibus tum adultis, tum parvulis offertur. Si cui non applicatur ob Peccata vel propria ſi eſt adultus, vel aliena ſi paruulus & non applicatur.

Arminius in Declar. ſent. & in reſpons. ad art. 31: a. 8. ei quæſt: novem. & perſpicuè in Exam. Prædeſt. Perkins à pag. 539. & 582. & Arminiani citati hic in Scrin. c. 6.

XIII.

GRatia Inefficax, ideſt Sufficiens, multis infantibus in utero matrũ mortuis non datur, multis item adultis ex barbaris Infidelibus non datur. Omnibus Fidelibus etiam induratis datur.

Auguſtinus in noſtra Cortina Princ 6 &. 7. & concl. 58. ad 95. & in mente Pontif. Innoc. art. 2: & 45 & hic in noſtro Scrinio. a c. 11. ad finem accuratiſſime.

XIII.

DE Gratia iſta communi ambigue ac variè ſenſiſſe Calvinum conſtat ex hic noſtro Scrinio: c. 10. Calviniani rigidiores negant cum Petro Molinæo. Kimedoncio, & Ameſio. Molliores affirmant cum Moſe Amyraldo & alijs quos in 10. cap. citavimus. Nihil certi habetur, apud Calvinianos.

Lanx Arminiana.	*Æquamentum Augustini.*	Lanx Calviniana.
XIV.	XIV.	XIV.
AD initium, continuationem, consummationem omnis boni indiget homo Gratia præveniente Excitante, sequente, & cooperante, quæ Gratia in potestate Arbitrij est & ad ejus flexum vertibilis. *Ita Arminius expressè in Declar. Suæ. sent. fol. 98. & responsione ad priores Artic. a. 4. fol. 111, 112. & ad Poster. a. 7. fol. 140, 141. & in disp. privat. thesi 42. & in Exam. Præd. Perkins. fol. 513. 591. 593. 606.*	AD inchoandum, continuandum, consummandum quodlibet opus bonum indiget homo Gratiâ præveniente trahente suapte virtute, & inclinante Arbitrium, non ad arbitrium se vertente. Augustinus in Cortina Conclus. 50. ad 58. & 66. ad 79. & in Probat. earum. et q. 3. & in Mente Innocent. a. 3. & 4. & 4. in Scrinio. c. 6, 7, & 8.	*NIhil boni facere potest homo nisi compulsus à Deo per Gratiam necessitantem, & omnino* Irresistibilem. *Calvinus l. 2. Inst. c. 3. & in Antid. Trident. Ses. 6. & lib. 5 cont. Pigh. & Beza adversus Castellion. pag. 557. & Pareus l. 2. de lib. arbitr. c. 2. & in Actr. Synod. Dordracenæ pa. 305. Chamier. tom. 3. c. 5.*
XV.	XV.	XV.
COncordia libertatis cum Gratia nititur congruitate Auxilij communis cum Arbitrio in indifferenti á Deo prævisa. unde sequatur libera operatio infallibilis, Arbitrij, Gratiæ opportunæ respondenti. Arminius Declar. Sent. pag. 96. In Exam. Prædest. Perkins. 1. p. fol. 523. & 2. fol. 591. 604, 605. Remonstr. in Synod. a. de Præd. & de Convers. & Apol. Exam. Cens. c. 7. 9. 18.	SI distinguatur Indifferentia a libertate: & in hac ponantur inclinationes, & momenta, & in Gratia intensio & remissio, & diversæ motiones secundum magis & minus, quibus voluntas inclinetur & trahatur intra libertatem ad consensum, constabit concordia cum Gratia libertatis. Augustinus in Cortina cl: 71. ad 92. & 9. de necessit. & libert. peccand & quæst. in mente Innocent. a. 5. & in Scrinio. 1. 7. & 8.	*NUlla est libertatis cum Gratia concordia Nam hæc liberum arbitrium aufert, quod cum Efficacia Gratiæ nequit consistere. Calvinus l. 1 instit. c. 15. & l. 2. c. 2. & lib. 5. cont. Pigh. & in Antid. Trident. ad Sess. 6. Synodus Dordracena. a. 8. & 12. Scarp. de lib. arb. c. 3. Pareus l. 2. c. 2. Molinæus in Anatome. Arminiasmi. Chamierus tomo. l. c. 2.*

Medio tutissimus ibis.

Liber Secundus.

De duplici adjutorio ſine Quo *&* Quo.

CAP. I.

Variæ difficultates circa intelligentiam mentis Auguſtini *proponuntur.*

FOns & Origo difficultatum, quas non paucas nec leves Autores invexerunt, prava interpretandi mentem *Auguſtini* ratio fuit. Nam dum quiſq; ſtuduit ultra ratiocinando quàm par erat tendere, & re minus contentus modum inquirere, libido, & ſciendi, & interpretandi, quæ maxima peſtis eſt ſcientiæ, locum *Auguſtini* difficilem reddidit. Inquiſitum eſt enim ab iis quid illud eſſet: quo inter ſe different adjutoria? & in quo efficacia adiutorii *Quo* conſiſteret, & quomodo voluntatem duceret agereturquè; & quid omnino eſſet id quod adderet adjutorio *ſine quo non*? & dum illa penſiculatiùs inquiſierunt, cùm in re occultiſſima verſarentur, alii alia, diverſaquè dixerunt, quorum quædam cum eſſent erronea, alii alios fugien-

do, Auguſtinum deſerverunt; quidam etiam ex ijs cum oppugnarunt: omnes (paucis exceptis) obſcurarunt, ac perverterunt.

Primi omnium, qui in Auguſtino errarunt, Maſſilienſes fuerunt, qui exiſtimantes per adjutorium *quo* neceſsitatem induci, Auguſtini ſenſum damnarunt. Poſtea, noſtris majoribus, Lutherus & Calvinus cum ſuis, idem Auguſtino placitum neceſsitatis tribuerunt, ſed id tamen retinuerunt, ſentientes voluntati a gratia neceſsitatem inferri: nec eam cum conſentit gratiæ, niſi neceſſariò operari: Contrà Arminiani & Remonſtrantes, ac ex parte Sociniani improbarunt Auguſtini diviſionem ob inductum Adjutorium *quo* quòd libertatem (quam valentem cum Maſſilienſibus volebant) penitus auferri putabant.

Inter Catholicos vero Thomiſtæ, quòd videbant quantum efficaciæ Auguſtinus ei adjutorio tribuerit, prædeterminari ab eo voluntatem, ſed citrà neceſsitem dixerunt. Jeſuitæ autem libertati a prædeterminatione timentes, tantum de eo adjutorio *quo* detraxerunt, ut illud pene extinxerint, ac cum primo adjutorio *ſine quo* prope confuderint. Inter hos omnes medij Janſeniani, longius quam Thomiſtæ, minus quam Calviniſtæ progreſſi, diviſione retenta, quod virtutem adjutorij altius exaggerarunt, & quandam ei neceſsitatem dederunt, & ſuſpectam Jeſuitis Patribus Auguſtini diviſionem fecerunt. Ex eorum cum Janſenianis concertatione, factiones ſunt exortæ, quæ Auguſtini mentem lacerarunt. Nam cum opiniones in ſectas degenerant, neceſſe eſt, ut

de

de quo disceptant, id omnino discerpatur, ac disipetur. Et quidem a mente Augustini longissime aberrarunt qui ex consequentijs rem pendere voluerunt; quæ quidem argumentandi ratio in Philosophicis idonea, in Theologicis interdum inepta est. Nam qui velit ex Trinitatis, aut Incarnationis, aut Eucharistiæ mysterio consequentias deducere, ac ex ijs spectare veritatem, ille sane inveniet gravissimas difficultates, quæ mentem à veritate deterreant. Sin sumat principia, uti debet, nec quid ex ijs sequatur ratiocinando attendat, assentietur planè facilè ob authoritatem divinam: in quam Fidei assensus resolvitur. Tum annexa & consequentia si quis objiciat, æquius erit ab ijs abstinere & Deo asignare, quam vel admittendo vel negando periclitari: sed de hoc alias.

Ad Institutum. Patres Jesuitæ magnas difficultates circa mentem Augustini excogitarunt.

Prima difficultas est: De quo gratiæ adjutorio agat Augustinus: actualis, an habitualis?

Secunda, quæ eodem pene recidit: Sermonè sit de auxilio efficiente perseverantiam: an de ipsamet perseverantia formali?

Tertia: An loquatur de adjutorio ad omnes actus singulares virtutum, antequam detur donum perseverantiæ, quod finale est: an de illo tantum quod ad perseverantiam datur?

Quarta: Utrum subjectum istud quod recipit adjutorium *quo* sint soli Martyres, an alij item justi? Has movent Petavius, Richardus, Moraines, Annatus, Thomas Augustinus contra Jansenium scribentes.

Quod attinet ad primum: conſtat de actuali auxilio quod excitans, & præveniens dicitur, Auguſtinum agere: Primo quia Auguſtinus ſupponit voluntatem bonam, deinde inducit adjutorium diſtinctum ad bene volendum: at voluntas bona fit per gratiam habitualem, quæ cum indigeat alio adjutorio, certum eſt illud diſtingui a gratia habituali: ait ergo Auguſtinus: *Tum ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in ea quippe eum fecerat, qui fecerat rectum; dederat ei adjutorium ſine quo non in ea poſſet perſeverare.*

Secundo quia Auguſtinus docet illud adjutorium *ſine quo non* tale eſſe, ut ſi Angeli & Adam eo deſtituerentur, non imputaretur ijs peccatum: *non utique ſua culpa cecidiſſent*: quod quidem non convenit gratiæ habituali, nam hæc non eſt ad bene operandum neceſſaria cum ſola voluntas cum auxilio præveniente actuali bene operari poſſit: nec quòd ea deſit homini, caret peccato cum homines in peccato mortali peccent, & tamen careant gratia habituali: Igitur actuale omnino adjutorium eſt, quod ſi deſit, fit omnino ut non peccemus.

Tertio quia habitus nunquam operantur ſine potentia: hæc autem ut operetur indiget excitatione actuali præveniente: quod eſt ipſum *adjutorium*, ac ita ſenſit de mente Auguſtini Vaſquez 1. *p. d.* 97. *c.* 2. *n.* 15. & *d.* 98. *c.* 2. *n.* 7. & 8. & *c.* 4. *n.* 21. ad finem, & in 1. 2. *d.* 186. *c.* 11. vbi hæc duo adjutoria *ſine quo & quo* de auxilio ſufficienti & efficaci quæ actualia ſunt prorſus intelligit: ad eaque *Auguſtini* doctrinam

doctrinam accommodat idem tradit. *Suarez p.* 2 de gratia, *l.* 4. *c.* 28. ac id ex professo probat *a. n.* 18. & citat *Divum Thomam* his verbis: unde *Divus Thomas, 2. 2. q. 2. a. 5. 1. de auxilio præveniente & actuali hunc locum* Augustini *intelligit.* Ac in eadem Vasquii sententia est: docens hæc duo adjutoria *sine quo & quo* eadem prorsus esse cum auxilio sufficienti & efficaci Scholasticorum.

Secunda difficultas gravior est. Nam Petavius, in sua disserat, de adjutoriis, & *Moraines d 12. sect. 6 & sect 11. a. n. 110. Thomas Augustinus l. 1. c. 21. a 7.* ac præcipue *lib. 3. c. 7.* affirmant adjutorium *Quo* esse ipsam formalem perseverantiam. Qua quis fit perseverans veluti per formam; non vero esse auxilium aliquod antecedens & efficiens illam formam. Fundamenta duo sunt: primum quia *Augustinus* comparat adjutorium *Quo beatitudini, quâ datâ homo continuò fit beatus*; ac vero beatitudo est ipsa causa formalis, atque adeo forma, non effectrix causa formæ.

Secundum, quia idem *Augustinus* de bono perseverantiæ *c.* 6. respondens objectioni Massilienssium factæ contra hujusmodi adjutorium ita respondet, ut de formali perseverantia omnino loquatur: sic enim inter alia. *De illâ perseverantiâ loquimur, quâ perseveratur usque in finem, quæ si data est perseveratum est usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem non est data.* Horum autorum sententia partim est vera, partim est falsa: vera quod admittant formam; falso, si excludant causam effectricem illius; utrumque oportet dicere, nempe adjutorium *Quo* esse auxilium, quod efficax appellatur: quod ita excitat, ut actum involvat: nam utraque ratio

in

in illo eſt & efficere, & formam inducere ac proinde utrumque includit & rationem cauſæ effectricis & formæ effectæ; nam in eo diſtinguitur ab alio inneficaci, quod caret effectu: & ex eo non ſequitur actus: imo neceſſe fuit *Auguſtinum* de perſeverantia ipſa formali loqui: nam hæc prorſus erat ad reddendum adjutorium efficax neceſſaria, cum per hanc poſitionem formæ conſtituatur auxilium *Quo* & per hoc ipſum ab auxilio *ſine Quo* non diſtinguatur: Abſtineo nunc ab ea quæſtione: utrum auxilium efficax eſſe præciſe poſsit ante formam inductam? ut cunque ſit; illud conſtat: non poſſe efficax eſſe, niſi inordine & nexu ad illam, non dico illud neceſſario formam inferre, nam certum mihi eſt auxilium efficax neceſsitatem voluntati non afferre, quæ cum eo libere agit: ſed rationem efficacis auxiliis eſſe cum illo reſpectu, quem efficit liberum, neceſſariò conjunctam, cum actus, liber ſit: neceſſarius ſit tamen effectus illius liberi actus, ad conſtituendam efficacis auxili rationem: quemadmodum in ipſomet actu libero, neceſſe eſt liberum ipſum ineſſe, ut liber ſit.

Argumenta *Auguſtini* in eoſdem autores retorqueo; primum enim de beatitudine quadrat maxime in noſtram ſententiam uti ponit *Auguſtinus*. *Beatitudo quam non habet homo quum data fuerit, continuo fit beatus*, illud *cum data fuerit* involuit actionem effectricem illius: nec enim dari poteſt niſi per actionem, quæ receptionem & paſsionem antecedit: clarius mox *Auguſtinus*. *Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit; ſed etiam, Quo fit propter quod datur*. Ubi apertè diſtinguit efficientiam a forma interjecto fine: illud *Quo* eſt cauſa efficiens; eo enim

enim *fit*: illud autem *propter quod datur*, significat aliquid diversum, cum finis sit alterius; itaque illud *Quo* & illud *Quod* distinguuntur: nam illud datur propter *hoc*: illud *facit* rem, hoc *fit* res: atque adeo est distinctio facientis & *facti*, causæ effectusque; cujusmodi distinctio inter causam formalem & effectum formalem non datur; unde etsi exemplum beatitudinis urgere velint, hoc certe quod ad adjutorium trahitur, indicat *Augustinum* non eo beatitudinis exemplo voluisse omnem omnino simulitudinem servare, sed tantùm infallibilem connexionem eo inducto ostendere, quæ est inter adjutorium, *quo*, & suum effectum: quemadmodum ex eo quod beatitudinis exemplum afferat non debemus dicere, quòd donum perseverantiæ libere non fiat, nec cum merito nostro; cum beatitudo nobis sine actuali merito nostro, & citra libertatem illius capacem conferatur.

Aliud de perseverantia solvitur dicendo *Augustinum* respondere objection Massilienſium, quatenus imponebant ei necessitatem inevitabilem eo perseverandi modo induci; quòd non intelligerent quo sensu loqueretur: declarat ergo *Augustinus* se loqui ex suppositione quod perseverantia accepta sit: nam cum perseverare includat gratiam finalem, postquam nemo jam cadere potest, data ea, & homine cum ea mortuo non potest fieri, ut non perseveret, qua ratione non læditur libertas necessitate. Audiamus *Augustinum*: *Nolunt isti fratres ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel supplicitèr emereri, vel amitti consumaciter possit; ubi quid dicant parum diligenter attendunt, de illa enim perseverantia loquimur, quâ perseveratur usque in finem, quæ si data est, perseveratum est usque in finem,*

si

ſi autem non perſeveratum eſt uſque in finem, non eſt data. Deinde, *Perſeverantiam verò uſque in finem quoniam non habet quiſquam niſi qui perſeveraverit uſque in finem, multi poſſunt eam habere, nullus amittere.* Et poſtea *cum enim perſeveraverit uſque in finem, nec hoc donum poteſt amitti, nec alia quæ poterant ante finem.* Quod optime obſervat *Vaſquez* 1. *p. d.* 98. *c.* 4. *n.* 24.

Immo retunditur objectio: quia in eadem reſponſione *Auguſtinus* fatetur alia dona ante iſtam finalem perſeverantiam & eſſe & amitti poſſe; quo manifeſtè ſignificat, non ſolum hujumodi perſeverantiam donum eſſe, ſed item alias gratias cum ea connexas, quas amitti fatetur poſſe in via, antequam conſummetur & gratia & vita: de quibus bonis & gratiis particularibus loquitur *Auguſtinus*, ita ut Deo attribuat, quemadmodum & perſeverantiam, ait enim. *Nec hoc donum poteſt amitti, nec alia quæ amitti poterant ante finem.* Verum hic locus *Auguſtini* non probat eum de perſeverantia tantum formali loqui: Nam & ſi mentionem de perſeverantia formali faciat, refutando neceſsitatem objectam, non negat perſeverantiam de qua loquitur habere cauſam efficientem in adjutorio *quo*, nec uſpiam ille perſeverantiam nomine adjutorii appellavit. Quæ poteſt eſſe totius rei confirmatio, nimirum non poſſe formam ipſam perſeverandi, adjutorium vocari. Ecquis enim dicat perſeverantiam eſſe adjutorium? cum adjutorium detur ad comparandam formam, quæ certe finis, & effectus eſt adjutorii, niſi forte perſeverantia ſui ipſius adjutoium eſt: quod ſane neſcio an quis ſanus admiſerit.

Præterea

Prætere à duo Principes Theologiæ Jesuiticæ *Vasquez* & *Suarez* adjutorium istud *quo* auxilium, quod appellant *Efficax*, interpretantur : tam longe absunt ab hujusmodi opinione de formali perseverantia, quem alii minores Theologi intrudunt. Audiant hi Uasquium solventem argumentum Massilienſium. *Massilienses* ait, *d.* 98. *c.* 4. *n.* 22. *murmurabant quod ille* Augustinus *duas gratias prævenientes distingueret, alteram specialem in his qui perseverant quâ fiunt perseverantes, quæ non fuit concessa primo parenti : alteram quâ possunt homines perseverare, sed non perseverant, quæ sola primis parentibus & Angelis malis donata fuit.* Debuerat hic dicere *Angelis omnibus* si ex *Augustini* hac in re sententia loqueretur. Sed hoc obiter dixerim. Intelligit gratiam efficacem in eo adjutorio *c.* 2. ejusd. disput. 98. *a. n.* 7. & *c.* 4. *a. n.* 22. & *c.* 6. *n.* 42.

Eadem est doctrina *Suarii* 2. P. de Gratia *l.* 4. *c.* 1. *n.* 2. ubi sic agens de divisione gratiæ in sufficientem & efficacem. *Hanc partitionem videntur olim Semipelagiani abhorruisse ex parte hujus membri gratiæ efficacis. Cum enim* Augustinus *libro de corrept. & grat. c.* 11, 12. *&* 13. *aliis verbis illam tradere visus esset dicens unam esse gratiam, quæ dat homini bene operari, aut perseverare si velit, aliam vero quæ dat ut perseveremus vel non perseveremus aut bonũ velimus, illis maxime displicuit, ut* Hilarius *in epist. ad* Augustinum *refert* : ac ejus particulam ponit. Manifestius eodem *cap. n.* 3. loquens de *Augustino. Denique distinctionem ipsam integre tradit in dict. lib. de corrept. & grat. c.* 11. *seq. ubi duplex distinguit auxilium : Unum sine quo peccatum caveri, vel bonum opus fieri non potest, & cum illo fieri potest, si homo velit. Aliud quod datur ut bonum opus, fiat vel peccatum*

tum caveatur, & primum dicit esse datum Adamo *ante peccatum non secundum. Istam gratiam inquit non habuit homo primus quâ nunquam vellet esse malus.* Ecce *efficacem, sed hanc habuit in quâ si permanere vellet nunquam malus esset, & sine quâ etiam cum libero arbitrio salvus esse non posset.* Ecce *sufficientem: Quod iterum sic describit. Tale erat adjutorium quod desereret cum vellet & in quo permaneret si vellet: nonquo fieret ut vellet, in quâ ultimâ particulâ insinuat etiam auxilium efficax esse illud quo fit ut homo velit.* Consentit *l.*4.*c.*18. *n.*1 Horum ego duorum summorum Theologorum judicium cæterorum, quos supra citavi, sententiis, antepono.

CAP. II.

Reliquæ duæ difficultates expenduntur & expediuntur.

MAjor est, ac implexa magis difficultas illa tertia; utrum *Augustinus* loquatur de adjutorio illo tantum *Quo* quis perseverans ultimò per gratiam finalem fit. An etiam de adjutoriis gratiæ antecedentibus, atque adeo de omni auxilio gratiæ efficacis dato ad singulos actus supernaturales? & quidem novi Theologi hac in re dissident. Nam *Petavius* & *Thomas Augustinus* non negant de aliis actibus antecedentibus *Augustinum* loqui, sed etiam aiunt de ipsa tantum perseverantia formali loqui, id que proterve *Thomas Augustinus*, *l.*3. *c.*7. & ult. conten-

contendit. *Moraines* & *Annatus* conveniunt in eo, quòd adjutorium illud non ad ſolam formalem perſeverantiam, ſed ad effectricem quoque illius gratiam pertineat: An vero illud ſoli perſeverantiæ in finali gratia addici, vel ad alios etiam actus extendi debeat, non ſatis exponit *Moraines*: *Annatus* ſatis declarat. Nam *Moraines*, *d.* 14. *ſ.* 6. *n.* 45. videtur reſtringere ad ſolum actum perſeverandi, & *l.* 22. *n.* 62, 63. videtur ad alios actus extendere: & rurſum, *n.* 54. iterum ad ſolam perſeverantiam contrahere: ait *n.* 52, 53. *auxilium dari ſanctis & electis perſeverantibus aut recte agentibus*, & ſanctos eo auxilio *pie vivere & perſeverare*. At vero *n.* 54. ſoli perſeverantiæ formali addicit auxilium. *Annatus* perſpicue docet iſto adjutorio comprehendi omnia auxilia antecedentia cum perſeverantia connexa, *l.* 7. *c.* 6. Ita ut adjutorium perſeverantiæ ſit: *non unum & ſingulare, ſed omnium collectio quibus voluntates præveniuntur*. Gratulor *Annato*, quòd *Auguſtini* ſenſum attigerit: nam ex eis quæ ſupra diximus in commentariis ad tria illa capita, *lib.* de Correpț. & grat. conſtat *Auguſtinum* autorem eſſe non modo ad actum ultimum perſeverandi, ſed alios etiam honeſtos & bonos id genus adjutorium *Quo* donari, & quidem de fidei dono eodem modo loquitur, ac de dono perſeverantiæ. Quod attinet ad rationem adjutorii illud efficientis de gratia vocationis, idem omnino *Auguſtinus* tradit, quemadmodum nos oſtendimus in locis adductis: Quid enim aliud egimus? nimirum vocanti gratiæ ſummam efficaciam tribuere ſolet *Auguſtinus*, ac eam omnino geminam adjutorii *Quo*, ratione cujus, uti late probavimus omina noſtra bona merita, *Dona Dei*

vocat: cujusmodi eatitulo non donaret, si ab alio adjutorio provenirent. Præterea mentem suam *Augustinus* declaravit, cum dixit: *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec in illis Deus operaretur ut vellent, inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Quo ex loco palam constat, illud adjutorium ad totam vitam perseverantis hominis pertinere; nec opus est alias probationes geminare cum satis id appareat; & fateatur tandem *Moraines*, & *Innatus* omnino doceat.

Illud quærendum: cur *Augustinus* de perserverantia loquatur, & hujusmodi adjutorium cum perseverantia ferme conjungat: adeo ut occasionem dederit dubitandi: An de sola finali gratia loqueretur? Nam & juvat causam inquirere, & eâ compertâ quæstionem expedire, & objecta removere.

Primùm: Agebat *Augustinus* de gratia Adami, quæ erat gratia perseverantiæ, quia cum in bono creatus esset, bene agendo non de novo fiebat bonus, sed perseverabat in bono, atque adeo ei gratia ad perseverandum dabatur, unde cum Adami gratia perseverantia esset; quamvis gratia lapsi hominis prima non esset, & à reparatione inciperet, eam tamen Augustinus ad perseverantiam in reparata gratia, reducere voluit, ut Adami gratiæ responderet: Ea tamen differentia quod Adami perseverantia in brevissimo vitæ spatio fieri debuit, cum si servasset præceptum omnino perseverantiam

conse-

consequeretur: At aliorum perseverantia longiori spatio futura erat, cum in finali gratia consummanda esset: Itaque Adamus initio vitæ consummaret perseverantiam, cum posteri non nisi morte consummaturi essent.

Illa tamen est capitalis ratio ob quam Augustinus de perseverantia egit: quia præcipue agebat de gratia prædestinatorum, quæ cum esset assignata ex voluntate Dei prædestinantis, erat cum assecutione finis conjuncta, atque adeo perseverans. Unde recte omnia illa auxilia ab initio vocationis ad finalem gratiam nexa & cohærentia inter se ex voluntate Dei ordinantis ea ad salutatem prædestinati, atque cum perseverantia conjuncta perseverantiam appellavit. Etsi vero re adjutoria essent diversa, ac interdum intercurrente peccato dissoluta, tamen intentione ac prævisione diuna omnia inter se erant, vel continenti filo ducta, vel sarto colligata, ut semper illa deductio ad perseverantiam tenderet ac sisteret.

Patet id ex celebri prædestinationis definitione tradita ab Augustino, *lib.* de dono perseverantiæ, *c.* 14. *Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*: & ex illa breviore, sed ejusdem ponderis, lib. de prædest. sanct. c. 10. *Prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus*. Omitto alios complures, & illum adduco integrum locum, qui rem prorsus contineat. Is est ex *c.* 7. *l.* de Correp. & grat. *Quicunque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur, eis audiendam Euangelium, & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur usque*

in

in finem perſeverant. Etſi quando exorbitant correpti emendantur, & quidam eorum, & ſi ab hominibus non corripiantur in viam quam reliquerant redeunt, & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis vitæ hujus mortis celeritate ſubtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis qui vaſa miſerecordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ. Locus hic iſtam difficultatem tollit, cum ejuſdem libri ſit, in quo traditur doctrina adjutorii *quo* ad perſeverandum, & totam gratiarum ſeriem ex intentione prædeſtinantis Dei, & omnes prædeſtinatorum differentias comprehendit, quibus ea adjutoria toto vitæ ſpatio ad finem uſque applicantur. Hanc & a me conceptam & propoſitam ſententiam tradit Annatus, *l.7. c.8.* quem ego aliis fortiter oppoſuerim. *Addo inquit ut ſuperius indicatũ eſt: auxilium quo perſeveratur uſque in finem inter vitæ hujus pericula variaſque tentationes, non eſſe unum aliquod auxilium, nec mere internum, ſed eſſe multitudinem quandam auxiliorum perpetuo congruorum & infallibilium uſque ad mortem incluſive; ſicut enim illud velle perſeverare, quod* Auguſtinus *dicit dari per hoc auxilium non eſt unum quoddam & ſingulare velle, ſed eſt, multitudo voluntatum omnium quibus tentationes variæ vincuntur, ut* v. g. *voluntas juſtitiæ quando prædeſtinatus avaritia tentatur, temperantiæ quando gula ſollicitat, manſuetudinis quando ira exardeſcit, caſtitatis; quando libido blanditur & allicit: ita & auxilium quo Deus operatur idem velle non eſt unum & ſingulare, ſed eſt omnium collectio, quibus hujuſmodi voluntates præveniuntur. Ubi præterea elucet veluti peculiare quoddam ſtudium providentiæ in ordinandis hujuſmodi auxiliis ſemper congruis & infalibilibus, & ipſa*

morte

morte cum eorum effectu ita connectenda, ut quemadmodum loquitur Augustinus *de Corrept. & Grat*, c. 12. *non nisi manentem fidem vitæ finis inveniat. Item in moderandis tentationibus et tentatore frenando ne tantum sæviat, quantum sufficii ad vincendum.* Et aptissimè concludit; *totum hoc comprehendit auxilium quo continetur donum perseverantiæ.* Probo in Annato quod ad collectionem auxiliorum usque ad finalem perseverantiam spectat; congruitatis tamen rationem in qua ponit rationem efficaciæ non probo, qui aliam longe diversam cum Augustino agnosco: eam suo loco repræsentem.

Et quidem hujusmodi perseverantiæ Augustino familiarem acceptionem intellexit & confirmavit Cœlestinus *Papa in Ep.* 1. ad Episcopos Galliæ, *Can. 7. quibus* (scilicet auxiliis quotidianis) *nisi freti confisi, vitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores: necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum nos adjuvante vincamur.* Imo & ipsi Massilienses quid Augustinus vellet, noverunt, & notionem perseverantiæ tum Augustini sensu, tum suo ad alia etiam auxilia in vita Deo præstita acceperunt. Ita enim apud Hilarium *His verbis sanctitatis tuæ* (id est adjutorio *quo* ad perseverandum) *ita moventur, ut dicant quandam desperationem hominibus exhiberi: si enim aiunt ita Adam adjutus est, ut stare posset in justitia, et a justitia declinare, et nunc ita sancti juvantur, ut declinare non possint: siquidem eam acceperunt volendi perseverantiam, ut illud velle non possint, vel sic quidam deseruntur, ut aut nec accedant aut si accesserint, et recedant.* Quibus verbis non nisi viventium hominum perseverantia significatur. Et rursum: *Unde et*

in

in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat, hi autem amissis et perditis viribus credentes tantùm non solum erigat postritos, sed etiam suffulciat ambulantes. In ambulantibus & via, & adjumenta ad viam peragendam apparent. Et quidem in explicandâ notione *doni perseverantiæ* in libro quem de eo scripsit Augustinus, semper ab initio vocationis actuum seriem honestorum per vitæ sequentis spatium ad finem usque in quo terminatur perseverantia deducit. Nec alia est perseverantiæ definitio, nisi quæ comprehendat & antè habitam gratiam, & continuatam, & perductam ad finem. Nam perseverantia supponit in bono accepto gestóque persistentiam: de quâ videndi sunt Alvarez, *l.* 10. de auxiliis & Frat. Franciscus à Sancta Clara Provincialis in Angliâ (quo tempore hæc scribo) in suo libello examinis confessionis Anglicanæ, Problem. 28, & 29. vir doctus, & eruditus, & mihi admodum charus; certè ex mente Vasquii & Suarii constat Augustinum hîc non de sola vel formali perseverantia finali, sed de omni cum eâ nexo & cohærente & adjutorio, & actu intelligendum, cum ii ut supra diximus efficacem gratiam eo adjutorio contineri, ac significari Autores fuerint: ac præsertìm Suares, 2. *p.* de grat. *l.* 5. *c.* 2. *n.* 7. ubi sic: *Licet* Augustinus *loco, lib. de Correp. grat. de perseverantia tractet; alia non excludit, immo indefinite de vincenda tentatione et vitando peccato loquitur.* Norit Petavius & Thomas Augustinus se Suario contradicere.

Alteri Quæstioni solus Petavius ansam dedit: De quo

quo ſubjecto loquatur Auguſtinus? Perſuaſiſſimum erat mihi nemini dubium fore, quin de prædeſtinatis omnibus loqueretur: immo & de omnibus qui rectè & honeſtè ex fide & gratiâ operantur: ſed incidens in diſſertationem Petavii reperi, non modò ipſum ambigere, ſed etiam contendere de ſolis Martyribus Auguſtinum agere. *Quid non ſperemus ab illis* qui occupatis mentibus & affectis animis Auguſtinum legunt. Equidem miror Petavio tanto viro cui paucos pares ætas noſtra tulit hoc in mentem venire potuiſſe. Liceat eum mihi, quâ par eſt obſervantiâ modeſtiâ que refellere. Non in Martyres tantùm quadrat hujuſmodi Adjutorium *Quo*, ſed aliis item Prædeſtinatis convenit. Nam etſi Martyrum exemplum Auguſtinus attulerit, non iis tantum addixit auxilium, quod omnibus Prædeſtinatis imo & cæteris qui ex Fide & Gratia rectè operantur commune eſſe voluit. Dedit quidem Auguſtinus Martyribus primas, ſed ſuo alios loco movere noluit. Sin Adam ipſe qui lapſus, & qui ex eo Poſteri Prædeſtinati ſunt, nec ſunt Martyrium paſſi illo Adjutorio Chriſti ſanguinis proprio deſtituantur neceſſe eſt. Non ita. Ad omnes pro quibus illius Agni efficaciter fuſus eſt ſanguis efficax illud Gratiæ adjutorium pervênit. Niſi fortè alii prædeſtinati ad ſtatum Adami Innocentis revocati ſunt, ut adjutorio tantum *ſine quo non* donarentur. Martyres autem in ſtatum ruinæ deciderint, ut auxilio *Quo* fruerentur: nam id Autore Auguſtino fore oportebat. Vereor ne dum Petavius Martyres vult ejus auxilii majoris & potentioris participes facere, eos ab integritatis felicitate excludat: nam quibus illud *ſine quo*

datum non est auxilium, sed istud *Quo* concessum, ii sanè ab erecto illo & celso naturæ innocentis gradu in infimum lapsantis & abjectæ barathrum præcipitati sunt. Quod si reliqui prædestinati eandem naturam corruptam peccato, obnoxiam concupiscentiis habuerunt, eandem sanantem liberantem, statuentem, tenentem gratiam nacti sunt. Sinat eos Petavius eadem medicina frui, qui eodem morbo laborarunt. Sin ob magnitudinem beneficii adjutorium *Quo* martyribus assignavit, & majorem huic auxilio virtutem inesse putavit: videat ne noceat opinioni suæ ac sociorum, qui nolunt quicquam inter ea adjutoria ac interesse: ac quæcunque sit illorum diversitas, eam non ex diversa virtute auxilii, sed aliunde, putâ opportunitate & effectu cooperantis voluntatis provenire. Imo à se ipso planè discisset, nam hoc maximè loco ubi adjutorii *Quo* efficaciam elevare contendit, ne sit ab Adjutorio *sine quo non* reapse distinctum, tam illud extollit, ut solis martyribus majores vires ad majora vincenda certamina conferri debuerunt, fuerit tribuendum. Hac certè ratione illa duo inter se maximè distinxit auxilia, cum istud *Quo*, solis martyribus addictum voluit: & ad alias noluit pertinere.

Sed esto. Majus sit & majores vires conferat martyribus; efficiam hoc dato, ut illud commune aliis prorsus sit: atque adeo cum maximè conatus est Petavius addicendo martyribus difficultatem effugere, omnino in eam incidisse. Nec enim neget fuisse sanctos non martyres, qui martyribus pares meritis esse potuerint. Nam (ut beatissimam Mariam virginem quæ extra omnem virtutis metam posita est omittam) haud dubitem

Abraha-

Abrahamum, Jobum, Davidem, Danielé, Machabæis: Magdalenam, Martham, Hilarium, Martinum, Sylvestrum, Paulinum, Apolloniæ, Dorotheæ, Georgio, Christophoro, Anniceto, Blazio, & aliis æquare martyribus? Næ, si Petavio cum hæc scriberet venisset in mentem Parentis Ignatii, Magnivè Xaverii in eodem eos cum plerique martyrum gradu posuisset. Quærerem ex ipso quo numero habeat eos qui se alacriter Tyrannis obtulerunt, eos que ad inferendam sibi pro Christo necem provocarunt, nec ullum tamen passi sunt genus martyrii? Equidem ego, nec sanctissimum Patrem Franciscum, nec Antonium Paduanum ardentes martyrii studio non cum martyribus numerarim. Ignoscam tamen Petavio si martyres eos intelligat, qui cum mundo carne, diabolo pugnant, & cum domestico hoste luctantur: eumque Christi gratiâ juvante vincunt. Sed si hoc, quâ indole est suavi, blandáque, admittat: tum omnes penè prædestinatos admittat necesse est. Quod si accersitâ asperitate repellat, tum querentur de eo Pauli, & Antonii, Hilariones, Danieles, & Simeones Stylitæ, Anachoretæ que alii, qui diuturna & difficili pugnâ adversus vitia ac stimulos vitiorum, illecebras & delicias decertarunt. Annon erunt digni ea gratia Christi potentiore Athanasius, Basilius, & Chrysostomus quòd citra sanguinem cum potentissimis imperatoribus pro fide ac religione contenderint? An illi Christi uberius effuso sanguini non debebunt puras virginei candoris nives Gertrudi. Clara, Catharina, Therasia? An quia Rosæ non sunt, aspernabitur lilia Agnus, qui pascitur inter lilia? cujus etsi purpureus sanguis sit, eo tamen legimus

stolas Martyrum dealbatas. Ne quæso, mi Petavi, arcendo ignes ardentissimæ Gratiæ Austros hisce floribus immitte, quorum flatibus arescant, nisi forte solum Aquilonem inimicum putas? Sed tunc Austrum gelidum nega, & ut perflet hortum idoneum existima. Finge hæc à me tibi in viola & in rosa dici loquenti alias rosas, sed modo spinas ferenti. Sub rosa maneant hæc, & argumento isto rosaceo opinioni tuæ medeamur. Medicus Augustinus esto.

Hic de Gratia statuum naturæ secundum se loquitur: ad secundum autē statum non soli martyres pertinent, sed omnes à Christo redempti, quibus ea gratia cum rectè operantur efficax donatur, atque adeo *Adjutorium Quo*: non posse tantum conferens, sed etiam operari. Id. *c.* 11 & 12. tradit Augustinus toties & tam perspicuè, ut necesse non sit citare locos. Quid? quod prædestinatos omnes nominat, *c.* 12. Propositâ quippe Gratiâ adjutorii *sine quo non* data Adamo in primo statu transiens ad secundum adjutorii *Quo* ait: *Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ*, ideſt, *sine quo non ad posse: sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur.* En omnibus prædestinatis perseverantibus adjutorium *Quo* donatur: nisi fortè soli martyres perseverant. Præterea eodem cap. de omnibus Abrahæ filiis loquitur: ac ipsum Abrahamum inter eos prædestinatos numerat: quem non affirmet Petavius martyrem fuisse, Jam verò *c.* 13. de omnibus prædestinatis loqui se testatur. *Hæc de iis*, inquit, *loquor qui prædestinati sunt in regnum Dei* Idémque eo sæpe capite fatetur. Tandem adeo id manifestum est, ut sole clarius

sit,

sit, uti nos in commentariis ad hos locos satis ostendimus.

Argumento Petavii respondeo: Augustinum cum martyrum exemplum attulit, voluisse illius adjutorii virtutem & efficaciam ostendere paradigmate maximæ constantiæ illato, ut quanta vis gratiæ esset in martyribus appareret: qui non domi solum cum privatis vitiis, sed cum tyrannis in acie decertarunt, horribilia genera pœnarum pertulerunt, ac contemptâ glorioſius morte triumpharunt. Hi enim Heroes sunt nostri.

—Qui sanguine nobis
Hanc pacem peperere suo.

Qua item ratione *lib. de Grat. & lib. arbitr. c* 17. eos efficaciſsimæ gratiæ & ardentiſsimæ charitatis paradigma posuit. *Quando enim* inquit *martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, magnâ charitate fecerunt.* Solet enim Augustinus virtutem gratiæ in martyrbus tanquam facem collocare, ut eam quivis in illustri positam monumento valeat intueri: non animo extinguendi alias, sed eam inter cæteras extollendi. Sciat ergo Petavius Augustinum cum martyribus collatam ad vincenda tormenta mortémque gratiam induxit, noluisse eam addicendo martyribus circumscribere, sed quanta ejus esset efficacia visque, adductâ martyrum constantiâ describere.

CAP.

CAP. III.

Alia quædam objectà ſolvuntur.

ÆGerrimè hanc diviſionem auxiliorum Antagoniſtæ Janſenii ferunt: ob duas potiſsimum rationes. Prima eſt: quòd eam Janſenius ad nauſeam uſq; inculcat: perinde ac illa totius Auguſtini de gratia doctrinæ clavis & filum ſit. Secunda: quòd ille in iis exponendis duos præcipue errores admiſit; alterum dicendo adjutorium *ſine quo non* ideſt auxilium ſufficiens tam proprium integri ſtatus eſſe, ut nullum ejuſmodi ſit in ſtatu naturæ lapſæ: & omne adjutorium gratiæ poſt ruinam & redemptionem, *Quo*, ideſt efficax eſſe. Alterum, adjutorium iſtud *Quo* neceſsitatem voluntati afferre, ac omnino *irreſiſtibile*, ut aiunt eſſe; proindeque tollere libertatem. Ita Richardus, Petavius, Martinonus quos non cito, quia ad manum non habeo. Adducam autem qui ſunt ad manum Antoninum Moraines, *d.* 22. & *d.* 28. & alibi: Thomam Auguſtinum *l.* 1 *c* 8. & 9. 17. & 21. ad fin. libri, & *l.* 3. à *c.* 3. & præcipue *c.* 7. Franciſcum Annatum *l.* 7. de Grat. Semipelag. *Sect.* viii.

Laudo ſtudium emendandi vitia, ſed video eos non vitia ſolum hominis inſectari: ſed doctrinam quoque Auguſtini nimio Janſenium impugnandi ardore elidere: nam eò impugnando progrediuntur, ut nolint quicquam reapſe inter ea adjutoria intereſſe: atque adeo velle

velle prorsus confundere: quemadmodum postea apparebit. Equidem Jansenium peccasse non credo in eo quòd cēsuit, rectam hujusmodi divisionis adjutoriorum intelligentiam, clavim & filum totius Augustinianæ de gratia doctrinæ esse. Nam si ea adjutoria sunt auxilia *sufficiens & efficax*, uti autores idonei volunt, dubium non est, quin illa divisione & aperiri, & iniri viæ omnes Augustinianæ doctrinæ possint. Quòd autem id magnopere exaggeret Jansenius ad Hyperbolen pertinet: quam Cicero non Rhetoricis modo, sed etiam Philosophis in Topicis permittit. Si autem hæc castiganda sit, Orbilii Ferula satis est: cui nescio an qui acerbius puniri velint, manum valeant subducere.

Quod secundum attinet: In utroque Jansenium errasse fateor: nam neque negare debuit auxilium illud inefficax quod sufficiens dicunt, uti adversus eum *tract. 1. de mente Innocentii Papæ a.* ; monstravimus: & admittere potuit à Christo nobis illud; si minus primùm comparatum, certè restitutum. Quamvis enim datum non fuerit Angelis & Adamo integro ex meritis Christi: cujus Incarnatio authore Augustino peccati remedium fuit: certè amissa per peccatum Adæ omni gratia, quæcunque postea nobis ex Dei gratuita misericordia nobis obtigit, ea per Christi sanguinem fuit restituta. Jam verò si dixit illo adjutorio *quo* ideſt auxilio efficaci necessitari voluntatem ut ei non possit resistere: tantum id delictum est: ut ejus ego illi gratiam facere non possim, quemadmodum supra eodem *Tract. a. 4.* latè ostendi. Sed non est propter privatos hominis errores tam celebris divisio improbanda; & tanquam aut minus apta,

aut

aut perſpicua rejicienda: cum præſertim à multis ante Janſenſium autoribus & ex Societate & extra Societatem tradita & recepta ſit: qui minus ab ea ſibi quam antagoniſtæ Janſenii timuerunt.

Et quidem ex iis Thomas Auguſtinus acrior eſt, illius diſtinctionis & vehementior impugnator: ac nullâ vult ratione admittere diſtincta eſſe gratiæ excitantis adjutoria: id tantùm concedit eo eſſe diſtincta quod adjutorium *quo* formalem perſeverantiam ſignificat: de ea que interpretatur illud adjutorium quo libri de Correpț. & Grat. Ita *l. 3. c. 7.* In eadem ſententia eſt Petavius in ſua diſſertat. Mitius cum his adjutori. agit Moraines, ac duos ſenſus quibus ea diviſio in diverſa membra ſuſtineri poſsit in medium adducit: alterum acceptum à Richardo qui ſentit in eo diſtingui quod *adjutoriũ ſine quo* naturæ ſtantis, erat ſolius illuſtratio mentis, non item inſpiratio voluntatis; cum utrumque *adjutorium quo* comprehendat. Alterum proprium; ut aut illa auxilia non diſtinguantur niſi ab effectu; & præſcientia illius; aut unum involveret perſeverantiam alterum minimè, ſic *diſp. 22. ſ. 6.* Omnium cautiſsime de ea diviſione locutus eſt Annatus, *lib. 3. c. 8.* ubi negat diſtingui adjutoria, ſed diſtinctionem non aliam quam quæ ſecundo Morainii ſenſu continetur, admittit.

Non eſt mei nunc aut otii, aut conſilii omnium ſententias improbare: ſuis id locis commodius fiet. Puto enim nullum eorum ad ſcopum Auguſtini collimaſſe ut in curſu operis apparebit. Tantùm volo, unam, quæ communis eſt omnium, rationem infringere; & aliam,

quæ

quæ propria est Petavii & Thomæ Augustini, eneruare. Omnium ea vox est: Non tanti faciendam esse divisionem: cujus Augustinus semel & uno tantùm libro, ac sub finem vitæ meminerit; perinde ac antea minimè tradidisset. Hujusmodi autem argumentum & ineptum est & falsum. Probo ineptum: quia etsi Augustinus semel ac extremo vitæ tempore eam divisionem tradidisset: non idcirco ea minoris facienda imo ob id pluris æstimanda. Nam quod ad id temporis reservatur commendari solet impensius, attentius accipi; altius infigi, & religiosius observari. Quid enim Testamento sacratius, quod tamen semel et imminente morte solet fieri, ac propter id majus sibi pondus authoritatemque conciliat. Certè multa singularia, & qnæ nunquam antea dixèrat, à Christo Domino supremo illo passionis suæ tempore dicta accepimus, quibus non unquam alia, aut prolata graviùs, aut expensa divinivus, aut commendata vehementiùs. Injuram faciunt hi authores Cygnæo cantui, qui cum non nisi semel, & sub mortem fiat multo magis celebratur, qnàm perpetuus garrularum avium concentus, quo aures nostræ quotidiè obtunduntur. Sinant nos quæso Cygnæâ Augustini voce frui, nec, cum ad Mæandros istos difficultatum Cygnos canendo imitatur, negligant: cum ex immortalitatis vicinia divinius quiddam hauserit, quo nos mortales miseros recrearet.

Falsum deinde ostendo (ut nervosius agam) idem argumentum, quatenus negat Augustinum aliàs hujusmodi adjutoria minimè tradidisse. Constat enim eum de iis egisse sæpissimè, imo & nihil aliud in libris

contra Pelagium egiſſe: uti nos in proximo de adjutoriis libro fuſè monſtravimus: nec opus eſt repetere: qui locos commemorare volet plenos hujuſmodi doctrinæ reperit. Quod autem ea iis vocabulis non appellaverit ad nomen aliquantum, ad rem certè nihil intererit. Res nobis intuendæ ſunt non nomina rerum: niſi in rebus maximè veris Nominales eſſe velimus. Ego vero ne in logicis quidem Nominalis eſſe volui; quanquam qui noſtram illam ratiocinationem expendat, ne nomina quidem ipſa deſideret. Quare non injuriâ dixi argumentum illud & falſum, & ineptum eſſe.

Pergo ire ad aliud objectum. Quod formarat primum Petavius: & poſt eum operosè fabricatus Thomas Auguſtinus, *l.* 1. *c.* 21. *a.* 7. & *l.* 3. *c.* 7. hac ratione D. Auguſtinum ſemel & iterum duplicis illius adjutorii mentionem feciſſe. *lib.* ſcilicet, *de Correp.* & *Grat c* 10. 11, 12. & *lib. de geſt. Pelag.* De primo non opus eſt dicere cum pateat. De ſecundo ſic Thomas Auguſtinus, *l.* 3. *c.* 7. ubi fortius objicit. Pelagium, ait, ponentem gratiæ adjutorium in lege ſolùm atque doctrina ſic eo loco ab Auguſtino refelli: *Adjutoriorum genera eſſe duo. Alia quippe ſunt ſine quibus illud ad quod adjuvant effici non poteſt; ſicut ſine navi navigat nemo; nemo ſine voce loquitur, nemo ſine pedibus graditur, nemo ſine luce intuetur, & multa hujuſmodi: unde eſt etiam illud, quod nemo ſine Dei gratia rectè vivit. Alia vero ſunt adjutoria quibus ſic adjuvamur, ut etiam ſi deſint poſſit alio modo fieri propter quod ea requirimus: ſicut illa ſunt quæ commemoravimus: Tribula ad fruges terendas, Pædagogus ad puerum docendum, & cætera*

talia.

talia. Sic Auguſtinus; Ex quo concludit Thomas Auguſtinus. *Tale autem adjutorium ad non peccandum ſententiam legis eſſe vult. Ita ut adjutorium ſine quo, non ſit neceſſarium. Aliud verò tantum utile.* Fateor me non capere quid ex hac obſervatione contra illam diviſionem adjutorii *Quo* & *ſine quo non* colligi poſsit. Forte quod obtuſo & adipali ſum ingenio. Itáque volo diligenter attendere quid inde pro ſuo acumine Thomas Auguſtinus deducat.

Ait primùm: Satis ſibi eſſe quòd gratia Chriſti dicatur adjutorium, non modò quo rectè vivitur, ſed etiam ſine quo non vivitur. Secundum: diverſo modo accipi adjutorium in libro *de Correp.* & *Grat.* & in *lib. de Geſt. Pelag.* Nam illic utrunq; neceſſarium dicitur: & unum illorum, ideſt *Quo*, *Formalis cauſæ rationem habet*: ideſt, perſeverantiæ. *Hîc non utrunque eſſe neceſſarium, & utrunque efficiens eſſe.* Tertium: *has voces ita eſſe ambiguas, ut nihil in iis certi & conſtantis fundari ab adverſario poſsit.* Hac legentem non meæ me puduit tarditatis: utar eâ, impugnando hujuſmodi ſubtilitates.

A ſecundo incipio. Diverſo modo accipi adjutoria iis locis accipit, & probo: Et quidem utrunque neceſſarium in libro *de Corrept.* & *Grat* non verò in libro *de Geſt. Pelag.* Quid tamen hinc adverſus illam diviſionem ſequatur non video. Nam ſi conſtat illud adjutorium *Quo* libri *de Corrept.* & *Grat.* eſſe diverſum ab iſto adjutorio *Quo* libri *de Geſtis Pelagii* quod ſanè neceſſarium non eſt, cònſtat ea non confundi, nec ambiguis nominibus appellari: imò maximè diſtingui & certis notis diſcerni. Quod ſi eodem nomine appellari contigit, non eſt argu-

mentum confuſionis, cum multa quæ naturâ diſsident idem nomen ſortiantur: nec ſpecie ſolum aut genere diſtent, ſed etiam prædicamento. Nam novem prædicamenta quæ primò ſunt diverſa, Accidentia vocantur. Itaque poſſunt illa duo adjutoria eodem nomine dici & tamen naturâ diſsidere: cum præſertim Analoga ſint, cum unum ex iis ſit neceſſarium ſimpliciter, ideſt, adjutorium *Quo* libri *de Corrept. & Grat.* Alterum, ideſt, *lib. de Geſt. Pelag.* ſit neceſſarium ſecundum quid, vel unum *Ad eſſe*: alterum *Ad melius eſſe*: uti nos docent Philoſophi. Niſi fortè quod non adjutoria tantùm communi nomine, ſed etiam *quo* privato vocantur, non poſſunt eſſe diſtincta: qua ratione habitus animi & figura corporis, quod non accidentia ſolum, verum etiam qualitates dicuntur minimè diſtinguentur. Quo quid ineptius, & putidius? Maneat ergo ea eſſe omnino diverſa: nec ambiguis vocibus naturas confundi. Quod addit adjutorium *Quo* libri *de Corrept. & Grat.* eſſe *Formale*; non efficiens, falſum eſſe ſupra oſtendimus: cum probavimus non pro perſeverantia tantum *Formali* accipiendum illud eſſe, ſed pro auxilio efficienti ipſum, & aut comitante, aut involuente; Unde ex ſecunda illa animadverſione nihil contra diviſionem colligitur.

Prima rem minimè continet quam vult Thomas Auguſtinus. Vult enim nomine adjutorii *Quo* intelligatur adjutorium *ſine quo*: ut ex eo colligat ea non diſtingui. Idcirco ait. *Mihi ſatis eſt quod gratia Chriſti dicatur adjutorium non modo quo rectè vivitur, verum etiam ſine quo non vivitur* Decipula hîc eſt; ſed non me Thomas decipiet: pròdam fallacias. Duæ ſunt in hac ratiocinatione

natione; prima: quòd confundat adjutoria *quo*: Nam cùm duo sint: alterum non necessarium simpliciter ad opus: alterum omnino necessarium: imo & ultra necessarium efficiens principaliter opus: & de primo illo non necessario in *lib. de Gest. Pealagii*, & de hoc secundo prorsus necessario libro *de Corrept. & Grat.* loquatur Augustinus, de utroque accipi voluit Thomas Augustinus, quod de primo tantùm intelligi potest: ut illa inter se confunderet. Et quidem secundum adjutorium *quo* longe aliud est à primo, & multò plus habet quam adjutorium *sine quo non* cum istud det tantum *posse*: illud vero det etiam *operari*. Unde nequit hujusmodi adjutorium de se efficax illo adjutorio *sine quo non* contineri. At vero primum aliud adjutorium *quo lib. de Gest. Pelag* quo ita juvamur, ut sine eo tamen res fieri possit, tam fluxum ac infirmum est ut *sine quo non* dici non possit: cum sine eo fieri opus possit. Quare appellari potius debet *sine quo* fit, cum ita juvet, ut non sit omninò & simpliciter necessarium; ac uti logici dicunt, non ad esse, sed ad melius esse, videlicet Equus aut Currus iterfacienti. Apparet jam fallacia argumenti: nam eo volebat Thomas Augustinus rem ita involvere ut ex duobus unum efficeret inducto adjutorio *sine quo non*, perinde ac non duo essent adjutoria *quo* ab eo distincta, sed unum: & idcirco posuit primum adjutorium *quo* ceu minus esset quam adjutorium *sine quo non* dicens *non modo quo rectè vivitur*, sed etiam *sine quo non vivitur*. Ex quo loquendi modo apparet majus quiddam esse *sine quo non* quam *Quo*, cum longe sit majus id *quo fit* quam id *sine quo* non fit; nam hoc dat posse illud

dat

dat *operari*. Itaque decipere nos voluit Thomas ponendo primum adjutorium ad melius eſſe conferens facilitatem, quod minus eſt adjutorio *ſine quo non* neceſſario ad *eſſe*: & ſubtrahendo ſecundum adjutorium *quo* quod eſt majus & efficax, & tendit ultra adjutorium *ſine quo non* dans operationem & complens *poſſe*; de quo ſane comparato cum adjutorio *ſine quo non* dici debuit: Adiutorium non modo *ſine quo non rectè non vivitur*; *ſed etiam Quo recte vivitur ſitque ut rectè vivatur*: quod amplius eſt qnam adjutorium *ſine quo non*. Hoc autem non præſtat aliud adjutorium *lib. de Geſt. Pelag.* quo facilitas datur; & eſt potius *ſine quo* ſit quam *quo fit*. Ita deprehenditur fallacia elenchi in eo, quod unum tantum inductum fuit, alterum ſuppreſſum: ut unum tantumeſſe putaretur, vel ambo ita confunderentnr, ut diverſitas non appareret.

Secunda manifeſtior eſt, & facilius deprehenditur, ac deprehenſa prodit falſitatem argumentationis, & fraudem argumentantis. Igitur Thomas Auguſtinus conatur ex illorum locorum collatione deducere adjutorium *quo* libri *de Corrept. & Grat.* enervari, ut non ſit reapſe aliud quam adjutorium *ſine quo non* eiusdem libri. Ut autem id efficiat: confundit illud adjutorium *quo* potens & efficax cum alio libri *de Geſt. Pelag.* non neceſſario, & facilitante tantùm ad melius eſſe: quod cum ſit minus quam adjutorium *ſine quo non* ſi non diſtinguitur ab illo alio libri *de Corrept. & Grat.* haud dubiè potens & efficax non eſt, nec excedit adjutorium *ſine quo non*: ſed prodam ego hujuſmodi fraudem fallaciamque expendens iterum Thomæ Auguſtini verba. *Mihi ſatis*

eſt

est quod gratia Christi dicatur adjutorium non modò quo *rectè vivitur, verumetiam sine quo non vivitur.* Rogo de quo adjutorio loquatur. Nam si de primo non necessario, sed tantum utili loquitur : falso ait *eo rectè vivi*, cum sine eo rectè possit vivi, & vivatur ; nec enim est nec ad *posse* necessarium. Atque adeo nec est *quo* vivitur, nec *sine quo non* vivitur ; quemadmodum sine tribulis fruges & teri possunt & teruntur: Et *sine E quo* potest iter fieri & fiat: quod si contingat eo fieri opus, contingens id est non necessarium.

Si de alio adjutorio libri *de Corrept.* & *Grat.* loquitur, præposterè agit Thomas Augustinus : nam cum istud adjutorium transcendat aliud *sine quo non* ; & ultra *posse* conferat esse & operari, de eo dici non debuit tanquam de minore, & inferiore altero : *Non modo* quo *rectè vivitur, verum etiam sine quo non vivitur* ; quemadmodum supra animadvertimus. Unde si de hoc adjutorio sermo erat dici contrà debebat : *Ut non modò* dicatur adjutorium *sine quo non vivitur, verum etiam quo vivitur*, cum amplius quiddam sit Actus vivendi quam Potentia ad viuendum. Itaque adjutorum *quo* cum sit necessarium & efficax utramque rationem involuit, & *sine quo non* dando, aut supponendo *posse* & *quo* dando *esse*, nam *esse* supponit *posse*. At vero adjutorium *sine quo non* non involvit adjutorium *quo* cum tantum det *posse* non *esse*, uti nos proximo libro diximus adjutorium *quo* ejusmodi esse, ut in se utranque virtutem contineret dandi *posse*, & dandi esse ; quippe quod actum efficeret, atque adeo potentiam secum afferret, cum actus potentiam supponat.

Hinc

Hinc iam apparet & fallacia ratiocinationis & fraus ratiocinantis, & utranque in ventos abiiſſe, nec iis obſcurari lucem hujus diviſionis potuiſſe. Nunc adverſus eundem & Petavium hanc ipſam obſervationem quam magni faciunt, retorqueo, ac ea ex penſâ confirmo traditam ab Auguſtino diviſionem adjutorii in duo illa membra *ſine quo non* & *quo* libro *de Correpț.* & *Grat.* quod quidem ego ita conficio.

Aptiſsimè Auguſtinus illas duas diviſiones duobus illis libris, *de Geſt. Pelag.* & *de Correpț.* & *Grat.* propoſuit: ac ex iis deduxit quantum gratiæ ſufficienti, & efficaci eſſet tribuendum, juxta eam quam hactenus tradidimus rationem. Patet. Nam in libro de Geſtis Pelagii tantùm poſuit gratiam quæ ſatis erat ad refellendum primum errorem Pelagii negantis neceſsitatem Gratiæ: in libro autem *de Correpț.* & *Grat.* addidit quod neceſſarium erat ad refutandum ſecundum Pelagii & Semipelagianorum negantium efficaciam gratiæ. Rem expono. Pelagius duobus modis erravit: primum dicendo gratiam non eſſe omnino neceſſariam ad ſalutem, ſed tantùm ad eam facilius conſequendam: atque adeo utilem tantùm & ad melius eſſe. Id ut Auguſtinus refelleret probabat gratiam non eſſe utilem tantùm, ſed etiam ſimpliciter neceſſariam: & habere rationem adjutorii *ſine quo non* cum ſine ea rectè vivi non poſſet. Ad id autem afferebat eam diſtinctionem adjutoriorum, quam adducunt Petavius, & Thomas Auguſtinus: nempe adjutorii *ſine quo* illud ad quod juvat effici non poteſt: ſicut eſt Navis ad navigandum, vox ad loquendum, pedes ad gradiendum, lux ad intuendum, cujuſmodi eſſe adjutorium

jutorium gratiæ confirmabat. Aliud quo ſic adjuvamur, ut etiam ſi deſit, poſsit alio modo fieri id propter quod requiritur, ſicut Tribula ad fruges terendas, cujuſmodi eſſe Gratiam negabat. Itaque unum Adjutorium ad Gratiam applicabat : alterum removebat : ut videas quantum inter utrumque Adiutorium *Quo* interſit : ut illud libri de Correpț. & Grat. prorſus neceſſarium ſit ; & non modo ſine illo non poſsit fieri opus gratiæ, ſed etiam eo ipſo fiat opus : iſtud vero Adiutorium libri de geſt. Pelag. tale ſit ut ſine eo poſsit fieri & fiat opus, atque adeo ſine Adiutorio *Quo* libri de Correpț. & Grat. intelligi nequeat Gratia : at ſine iſto libri de Geſt. Pelag. integra ratio ſalutis & intelligatur & conſtet : retentâ illa (quæ haud dubie erat hæreſis) opinione. Nunc ad rem propriùs. Ad refellendum Pelagium tunc temporis ſatis hoc erat dicere: Adiutorium Gratiæ non eſſe tantùm utile ſed etiam omnino neceſſarium. Proindeque nullum opus rectè ad ſalutem fieri poſſe ſine Gratia Unde illa erat Adiutorium *Sine quo non* omnino neceſſarium : minimé vero Adiutorium utile tantum & ad melius eſſe, uti volebat Pelagius. Non negabat autem Auguſtinus Gratiam utilem item eſſe & facilitatem dare potenttæ: ſed negabat utilem ſolum eſſe: & neceſſariam prorſus volebat, ita ut ſine ea rectè vivi non poſſet. Erat autem ſermo de prima gratia, & neceſſario eius adiumento. Hactenus procedebat contra Pelagium ſic errantem Auguſtinus libro de geſtis Pelagii.

Poſtea cum vidiſſet eum convictum teſtibus, damnatum in Conciliis, circumtuſum teſtimoniis Scripturarum, & vocibus Catholicorum neceſsitatem Gra-

tiæ veram fateri : sed nec eam germanam agnoscere, nec ad omnes omnino actus necessariam dicere, & nullam ei efficaciam tribuere, sed eamab arbitrió pendentem inducere, cum jam Pelagius Semipelagianismum parturiret, ulterius ire docendo Augustinus perrexit: & veram Gratiæ Efficacis formam produxit. Itaque altiús orsus status duos integri & lapsi Adami proposuit: vires naturæ & arbitrii in ambobus expendit, Adjutoria Gratiæ distinxit, ostenditque primo, integro, & sano satis fuisse Adjutorium *Sine quo non*. Secundolapso & infirmo majori Adjutorio opus fuisse, id est *Quo* sicuti nos hactenus accuratè tradidimus. Unde apparet ex eo ipso de gestis Pelagii libro nostram doctrinam de hujusmodi Adjutorio libri de correptione & Gratia confirmari: nec quicquam illo aut contrarium, aut ambiguum contineri. Imo istud Adjutorium *Quo* alteri oppositum clarius elucere. Nam Adjutorium *Quo* libri de gest. Pelag. ponitur tanquam insufficiens & ineptum ad necessitatem naturæ: cui omnino ad operandum Gratia necessaria erat, quæ daret *Posse*, non supponeret. At veró Adjutorium *Quo* libri de Corrept. & Grat. inducitur non solum sufficiens, & necessarium, sed etiam Efficax, constituens naturam potentem operari, & operantem. Quare tantùm abest ut hi loci se implicent & obscurent, uti vult Petavius & Thomas Augustinus; ut potius ex mutuo concursu, & collatione se invicem juvent, explicent, & illustrent: uti opinor ex mea ratiocinatione apparet. Tria ergo habemus in Augustino Adjutoria. Adjutorium *Facilitatis*: quod solum admittebat lib. de gest. Pelag. Pelagius.

lagius. Adiutorium *Possibilitatis*: quod Augustinus omnino necessarium dicebat, sæpissimé ab eo inductum. Adiutorium actionis: quod est Efficax, utroque & perfectius & potentius. De quo cum aliis in locis, tum præcipuè lib. de Correpț. & Grat. Augustinus.

Uberius hæc explicare volo adducto perspicuo Augustini loco, in quo Adiutorium illud libri de gestis Pelagii Facilitatis proponit, & refutat inducto manifestè altero *Possibilitatis*: ac insinuato tertio *Actionis*: ut videat Petavius & Thomas Augustinus non eo tantum loco de gestis Pelagii Adiutorium illud inveniri. Est autem locus Serm. 13. de Verb. Apost. *Adjutricem dicunt esse gratiam Dei ad facilius facienda. Ista sunt verba eorum. Ad hoc dedit Deus, inquiunt, Gratiam suam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium facilius possint implere per Gratiam. Velo facilius, Remo difficilius; tamen & Remo itur. Jumento facilius: Pedibus difficilius: sed tamen & pedibus pervenitur.* En illud Adjutorium, quo facilitas datur. Ad aliud quo datur *Possibilitas* omnino necessarium pergit Augustinus. *Non est*, inquit, *sic. Magister enim verax .... non ait sine me facere quidem potestis aliquid, sed facilius per me: non ait fructum vestrum potestis quidem facere, sed uberiorem per me. Quid dicit Dominus, Sine me nihil potestis facere.* En secundum Adjutorium: necessarium prorsus ad *Posse*, & *Sine quo non*. Transit Augustinus ad tertium *Actionis* Efficax hoc modo. *Jam nunc cum auditis quotquot spiritu Dei aguntur, hi Filii Dei sunt, nolite eos dimittere. Nec enim Templum suum Deus quasi de lapidibus, qui non habent ma-*

tum ſuum levantur, ab ſtructore ponuntur. Non ſic ſunt lapides vivi & vos tanqnam lapides vivi coædificamini in Templum Dei. Ducimini ſed Currite. Et Vos Ducimini ſed ſequimini, quia & cum ſecuti fueritis verum erit illud. Sine me nihil poteſtis facere. Non enim volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ecce tertium Adjutorium: quo datur *Agere* & *quo* fit ut Agamus, ſuis expreſſum coloribus: ut nihil ex iis quibus illud proximo libro deſcripſimus deſideretur. Hæc eſt enim illa Gratia ducens non ducta: præveniens, non ſequens arbitrium: cujus Adjutorio fit ut opus fiat *non currentis hominis ſed miſerentis* Dei: qua agimur, non quam nos agimus; & qua ita agimur, ut neceſſe ſit occurrere ac dicere libertatem ſalvam & in tuto eſſe: nec nos agi tanquam lapides, ſed tanquam homines: cum qua non neceſſario, ſed libere operamur, ſic tamen ut abea incipiat motio & tractio voluntatis. Qua ratione Efficacem Gratiam, & ante iam expoſuimus, & poſtea exponemus. Hac luce illatâ exiſtimo tenebras quas huic diviſioni Adiutoriorum Petavius & Thomas Auguſtinus conabantur offundere, penitus diſſipari.

Summa eſt: Triplex Adiutorium Gratiæ apud Auguſtinum inveniri. Primum quo *Facilius* fiatopus ſalutis, non ſimpliciter neceſſarium: quod admittebat Pelagius, impugnabat Auguſtinus. Secundum *Sine quo non* poteſt fieri opus, omnino neceſſarium, ſed inefficax, recipiendum. Tertium *quo* fiat opus neceſſarium & Efficax, utrumque contra Pelagium, & ſequaces ab Auguſtino receptum traditumque.

CAP.

CAP. IV.

Recipitur, formatur, probatur hujuſmodi Ajutoriorum diviſio.

EO quaſi velo quod difficultates obduxerant reducto, apparere incipit mens Auguſtini de diſtinctione utriuſque adiutorii, quam certè optimè noverunt Semepelagiani, etſi eam minimè probarent: quemadmodum conſtat ex verbis Hilarii Epiſt. ad Auguſtinum. *Deinde moleſtè*, inquit, *ferunt, ita dividi Gratiam quæ vel primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non quâ fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc verò Sanctis in Regnum Dei Prædeſtinatis, non tale Adiutorium perſeverantiæ detur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* Recte hactenus ad ſenſum Auguſtini, quem prorſus attigerunt: ſed perverſé, detorquendo ad errores quos ex ea deduci volebant: ac propter eos illam diſtinctionem improbando. Quod accuratè expendit Vaſquez. 1.p.d. 91. c. 4. n. 22. *Maſſilienſes contra Auguſtinum obmurmurabant: eiuſque verbis offendebantur: quòd ille duas Gratias prævenientes diſtinxerat: alteram ſpecialem in his qui perſeverant quæ non fuit conceſſa primo parenti in ſtatu Innocentiæ: alteram cum*

quæ

qua poſſunt homines perſeverare, ſed non perſeverant: quæ ſola primis Parentibus, & Angelis malis donata fuit. Hæc quoad ſenſum. Quoad errores autem illa. *Verum enim vero nullam Auguſtinus deſperationem, aut neceſsitatem induxit.* Et cætera quæ ibi latius perſequitur.

Semipelagianos veteres novi Remonſtrantes imitantur. Nam agnitâ Auguſtinianâ diviſione eoſdem eius authori errores impingunt. Ita in Apologia ſæpe, & in eius Præfatione ſic. *Recte olim Sanctiſsimi Galliæ Epiſcopi* (ita Semipelagianos appellant) Auguſtino opponebant, *Si neque reiectus ulla induſtria poteſt intrare, neque electus ullâ negligentiâ poteſt excidere.* Ac reliqua ex Epiſt. Proſperi deſumpta. Ex authoribus Catholicis eadem adiutoria diſtincta, ſano tamen ſenſu adverſus Semipelagianos & calumnianos accipiunt Pennotus l. 9. Propugn. c. 13. Pigh. l. 4. de lib. arb. Horant. l. 1. cont. Calvin. c. 55. Malder. 1. 2. q. 111. a. 3. dub. 11. etſi adiutorium *Quo* nimis præſertim Pighius obtuderint, ut Calvino ad nnecesſitatem eo abutenti acrius, vehementius que reſiſterent.

Illud iam fermé inter omnes Theologos idoneos ac rectius ſentientes conſtat: Huiuſmodi adiutoria duo auxiliorum *Sufficientis* quod vocant & *Efficacis* imagines eſſe: imo mutatis nominibus eam exhibere. Ita adiutorium *Sine quo non* auxilium *Sufficiens*. Adiutorium *Quo* auxilium *Efficax* continere: cum illud det *Poſſe*: iſtud *Operari*. Poſſem multos huius ſententiæ authores afferre. Satis eſt duos Jeſuiticæ Scholæ Principes Vasquium Suariumque producere. Quorum Vaſquius primùm ait 1. p. d. 98. c. 1. *Auguſtinum de Gratia*

Gratia differentem nullum lapidem intentatum reliquisse. Cumque hic sit lapis angularis, non potuit ab Augustini omitti. Itaque Vasquez confirmat: hæc duo adiutoria duo illa auxilia significare. Ita 1. p. d. 97. c. 2. n. 15. & d. 98. c. 2. n. 7, 8. & 9. & c. 4. á n. 21. ad finem, & c. 5. n. 33. & 34. Adduco locum perspicuum c. 4. n. 23. Ubi docens ex mente Augustini. *Ex duobus excitatis per Gratiam Prævenientem, qui operatur eum maiori auxilio Gratiæ donari,* ait, *Has duas Gratias Augustinus distinxerat,* lib. de Correpț. & Grat. c. 11 ... *Easdem duas Gratias clarissimè etiam distinguit eodem,* lib. c. 12. *ubi habentur verba quæ Hilarius recitavit in illa. Epist. quibus Massilienses offendebantur.* Et postea, c. 5. illas duas Gratias appellat auxilia *Sufficiens & Efficax. Primam,* inquit, *sententiam ita intelligunt, ut affirment cum illo solo auxilio, quod appellatur Sufficiens, nullum respondere posse, nisi ei Efficax concedatur. Deinde addunt concesso illo Efficaci,* &c. Ecce duo quæ adduxerat adiutoria aliorum examinans sententias suopte sensu retento vocat illa *Sufficiens* & *Efficax*: & ad quæstionem applicat. Idem manifestè tradit in 1.2. D. Thom. d. 185. c. 11. Suarez autem adhuc manifestius eandem doctrinam tradit, pluribus inlocis. Egerat quondam de illa divisione lib. 3. de auxil. c. 15. Eam probat recenti tomo 2. de Grat. l. 4. c. 1. n. 2. & c. 2. n. 10. expresè dicit: auxilium sufficiens esse illud adiutorium *Sine quo non* Augustini idem affirmat, c. 18. n. 1. & de eo sub hac notione agit á n. 14. ad. 21. & ib. n. 18. & 20. admittit pro Efficaci adiutorium *quo*, & l. 5. c. 2. n. 2. recipit ex aliorum sententia adiutorium istud *quo* loco Efficacis. Utrumque autem probat c. 3. á. n. 6.

ad

ad 9. & insinuat c. 10. n. 13. & 23. & tandem innuit, c. 52. n. 19. & 20. Cuius ego authoris quòd magni fieri solet, ac debet ab omnibus Theologis locos duos omnino expressos afferre volo: alterum pro *Auxilio sufficienti*: alterum pro *Efficaci*.

Igitur, l. 4. c. 2. n. 10. *Hoc ipsum*, ait, *sentit Augustinus ubicunque Auxilium istud sufficiens explicat, per conditionalem illam locutionem, dicens: per sufficiens auxilium dari homini, ut operari possit si velit. Sic explicat Gratiam datam Adæ lib. de Corrept & Grat. c. 11. dicens tale fuisse adiutorium datum Adamo: quod desereret si vellet, & in quo permaneret si vellet, & in c. 12. ait in voluntate hominis fuisse positum, & cum adiutorio Dei sine quo perseverari non posset, manere si vellet: ergo illa conditionalis Operari si velit fit possibilis & re vera per auxilium sufficiens, ergo per tale auxilium ponitur in voluntate hominis quicquid est necessarium ad volendum.* Transeo ad efficax de quo sæpe Suarez ex illo loco de Corrept & Grat. sed eligo brevem & perspicuam sententiam, *l. 5. c. 3. n 6. Dubium* inquit *est an Efficax gratiæ auxilium pertineat solum ad statum naturæ lapsæ?* & mox *subiungit ait, Augustinus Adiutorium quod hominibus lapsis datur, in hoc esse maius & potentius, quod per illud efficitur ut homo velit. Et infra significat ideo tantam tamque efficacem gratiam non esse datam primo homini, quia tum liberum arbitrium ita liberum erat, ut bene velle posset & male: nunc autem propter infirmtiatem naturæ lapsæ necessarium esse auxilium quod hominem velle & benefacere faciat.* Et quanquam sentiat Adamo & Angelis necessarium Fuisse Auxilium Efficax ad perseverandum, quòd istud affirmet non ex eo negat illud Adiutorium

Quo

Quo efficax esse, sed tantum negat fuisse proprium naturæ lapsæ, uti apparet ex reliquo capite.

Non est igitur cut tantopere horreant & aversentur hujusmodi divisionem antagonistæ Jansenii cum suæ Scholæ Principes admittant, & amplectantur. Quod si causentur errorem Jansenii sentientis adjutorium *Quo* inferre vim libero arbitrio : ut ut sit, non debuerunt idcirco horrere Augustini doctrinam tam perspicuè traditam ; ac erroris vitandi causâ in Augustino minus videre. Nam si Vasquez & Suarez, nihil sibi à Calvino divisionem illam tantoperè celebrante, ac in hæresim suam trahente timuerunt, quominus eandem ab Augustino traditam reciperent : nullam sane honestam timori suo causam prætexere poterunt qui ut Jansenii errorem vitarent Augustino adhærere noluerunt.

Sed ne videar iis injuriam facere, quòd admittere omnes fateantur illam divisionem, & eo tantum nomine aversari, quòd Jansenius eam necessitate inductâ per adjutorium *Quo* Penitus corrupit, & aliis vitiis inquinavit, nam id cuncti profitentur : operæ pretium erit quis eorum sit sensus ostendere, & quam longe absint a Principum suorum sententia : a qua recedere minimè debuerunt.

Igitur Moraines d. 22. s. 6. affirmat Augustinum illa adjutoria induxisse, ac distinxisse, primum ea ratione ut adjutorium *Quo* naturæ lapsæ majus foret extensivè alio naturæ innocentis *Nimirum*, inquit, *quia ut fusiùs docet & ex Augustino probat* Richardus l. 2. disp. de lib. arb. cap. 4. sect. 3. §. 2. *egebat quidem in illo statu homines & angeli mentis illustratione ad hnnum*

*cognoscendum, quod syncero Sancto qne amore diligepent: sed non motione voln*ntatis *qua accenderentnr ad amorem illius boni.* Et infra. *At vero in statu natura lapsæ non sufficit mentis illustratio, nisi etiam voluntas cælesti motione tangatur.* Quod fusè persequitur, & inductâ Petavii authoritate confirmat.

Secundum: ut eo tantùm distinguantur non ex parte Excitantis Auxilii, sed Adjuvantis & Cooperantis, quia Adjutorium *Quo habet adjunctum effectum*: nam formaliter perseverantem constituit, *ut idem Sanctus Doctor ait paulo post: Beatitudo est Adjutorium quo fit formaliter Beatus*: quod fit *per formam, quæ eo ipso quod datur homini vel Angelo constituit eum formaliter Beatum.* Negat verò Augustinum agere de omnibus Auxiliis actualis Gratiæ, atque adeo discrepat à sententia Vasquii & Suarii, nec admittit ea duo Adjutoria rationes Auxilii sufficientis & efficacis universim ad omnes actus habere. *Diligenter enim*, inquit, *observandum est Divum Augustinum ibi non agere universim de Auxiliis quibuslibet datis in statu naturæ lapsæ: sed tantùm comparare Auxilium quo Adam adjutus non perseveravit cum Auxiliis quibus nunc sancti & electi efficaciter ad Regnum Dei piè vivunt & perseverant.* Atque hanc ipsam sententiam tradiderat d.14.5.6. a. n.44.

Annatus quem circumspectiorem reperire soleo, primum l.7. c.6. §. 8. ait recipere se illa duo Adjutoria tradita ab Augustino: *Augustinianam esse distinctionem illam eamque veram, bonam & utilem non nego.* Deinde affirmat duo: Alterum non eo sumi sensu quo Nou-Augustiniani volunt; ut nimirum Adjutorium *Quo* non sit in potestate voluntatis, eique necessitatem afferat. Alterum

quicquid

quicquid de ejus virtute ac efficacia dicit Auguſtinus, *id omne ſalvum eſſe admiſſâ infallibilitatis Auxiliorum præſcientiâ & pluſquam ſalva, ſi addatur bonorum actuum prædefinitio.* De primo non eſt nunc diſputandi locus: nec de eo ego Annato non aſſentior. Secundum non probo, & video quid paret, nempe duo illa Adjutoria reapſe confundere, & tantùm effectu, ejuſque præſcientiâ diſtinguere. Sed addit illud adjutorium *quo* authore Auguſtino ſignificare *tantum eam Gratiam quâ continetur donum perſeverantiæ, & ſolis prædeſtinatis convenire.*

Thomæ Anguſtino aliud ac inſolentius viſum. Nam nemo eſt huic diviſioni Societatis author iniquior. Itaque affirmat. Adjutorium *quo* de quo agimus *minus propriè ſumi, ideſt non pro cauſa efficiente boni operis qualis eſt gratia omnis liberum arbitrium antecedens, comitans & ſubſequens; ſed pro ipſa Perſeverantia formali, quæ non niſi in obitu ſupremo obtinetur: qualis eſt ipſa beatitudo quæ beatum non efficienter, ſed formaliter facit eum, in quem cadit.* Ita lib. 1. art. 7. Et l. 3. c. 7. latius eandem ſententiam confirmat, & tria tradit. *Primum de prædeſtinatis tantùm Auguſtinum iis locis de Corrept. & Gratia ſermonem inſtituiſſe. Secundum eum ne vel obiter quidem de alia quavis gratia loqui, ſed de una duntaxat gratia perſeverantiæ finalis. Tertium per Adjutorium quo intelligi ab Auguſtino ipſam perſeverantiam finalem, non verò auxilium Efficax ad perſeverandum.* quætúm eo capite, tum proximo nono conatur monſtrare: ait que art. 2. ejus cap. noni, aut octavi (nam mendoſus eſt numerus) Auguſtinum cum de duobus illis adjutoriis *Sine quo non*, & *Quo* egit, *egiſſe tantum de dono Finalis perſeverantiæ, non autem de Auxilio*

Gratiæ, vel Sufficientis, vel efficacis. quemadmodum à plerisque videt disputari.

Non est meum nunc eorum sententias refellere cum suprâ Cap. 1. maximam partem refutaverim, & quod reliquum est sit à me postea refutandum. Sed tantum ostendere, quod suscepi, ab iis divisionem Augustinianam partim elidi, partim everti: nec eos cum de ea censent cum suæ Theologiæ principibus consentire. Et quanquam hi in ea explicanda & inter se, & ab Augustino dissentiant, id non ad rem, sed ad modum spectat. Nam membra illa duo admittunt, eaque distincta esse agnoscunt; & actualia esse Gratiæ Excitantis auxilia fatentur. Cæterúm quâ ratione constituantur, & distinguantur, alia quæstio est, obscurior & difficilior de qua mirum non est eos sensibus discrepasse. Quare res omnino tenenda: admittendo duo esse auxilia eaquè diversa, atque ita ab Augustino proposita, etsi verò cujusmodi ea sint & quatenus differant minus constet, non idcirco de iis dubitandum. Sint negemus divisionem auxilii in *Sufficiens*, & *efficax* quòd rationes sufficientiæ & efficaciæ (nam adhuc id ventilatur) haud nobis compertæ sunt. Igitur qua ratione admittimus divisionem auxilii sufficientis & efficacis, eaquè recepta de modo inquirimus, ita et si modus in incerto sit, divisionem adjutorii *Sine quo non & quo* recipiamus.

CAP.

CAP. V.

De Adjutorio Sine quo non. *Quæ ejus natura Munus? Effectus?*

NON ego de his adjutoriis tanquam de auxiliis *Sufficienti* & *Efficaci*, quomodo ſolent Scholaſtici, quæſtionem inſtituo. Auguſtinianus Theologus ſum: ab eo informâtus ejus mentem expono: quàm cùm expoſuero, ſecnndum eam alias illas Scholaſticorum quæſtiones quaſi Ariadnæo filo deducto explicabo. Et quidem ſeptem meo iudicio proprie Auguſtinianæ quæſtiones excitari poſſunt. Prima, Quæ natura & couſtitutio illius adjutorii? Secùnda, Quis ejus effectus? Tertia, Utrum in ſtatu ruinæ detur hominibus lapſis? Quarta, Utrum ſit ex meritis Chriſti? Quinta, Quid & quomodo in nobis operetur? Sexta Utrum propriè ſit illud quod in ſcholis Auxilium ſufficiens appellamus. Septima, An ſit Gratia univerſalis & omnibus omnino hominibus detur? De his omnibus diſtincte ac enucleate, breviter nervoſe que, & ad mentem Auguſtini acommodatè agemus.

Circa primam, Antonius Richardus ſive du Champ. lib. 2. diſp. de lib. arb. c. 4. ſ. 3. §. 2. & Antoninus Moraines d. 22. ſ. 6. n. 44. uti eum proximo cap. citavi Authores ſunt *Adjutorium ſine quo non* fuiſſe *tantum illuſtrationem intellectus, non autem motionem voluntatis.* Ratio

tio eſt, quia cum Adæ voluntas libera eſſet à motibus concupiſcentiæ ſufficiebat illi mentis illuſtratio: & in hoc diſtingui volunt illud âdjutorium ab adjutorio *quo*, quod iſtud & illuſtret intellectum & moveat voluntatem: illud ſolam illuſtraverit intellectum, non affecerit voluntatem. Hanc ſententiam ita propoſitam à Richardo in mea Cortina. quæſt. propria authore minimè producto confutavi. Idcirco nunc brevius refellam, cum præſertim hoc anno quo lucem vidit 2. Tomus de Gratia P. Suarii, eam apud ipſum invenerim iiſdem ferme rationibus, quas ego ejus haud conſcius ſententiæ adduxeram, refutatam.

Primùm illa ſententia adverſatur Auguſtino, qui diſertis verbis docet Adamum Innocentem utroque modo excitatum. Nam de eo loquens l. 14. de Civit. c. 13. *Si voluntas*, inquit, *in amore immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc in tenebreſceret & frigeſceret.* Manifeſte ex parte Gratiæ Excitantis ad permanendum, ponit illuſtrationem, intellectus & accenſionem voluntatis.

Deinde oſtenditur ratione, quia Auguſtinus agens de Gratiæ adjutoriis nunquam illam diſtinctionem innuit, ſed tantum in majori vel minore virtute eam conſtituit: ut patet exiis quæ l. 1. diximus: nam quoad extenſionem Gratiæ eodem modo locutus eſt: de ſola intenſione diverſa dixit. Præterea Auguſtinus abſolute ad omne auxilium Gratiæ ex natura ſua ſemper poſtulat motionem utriuſque potentiæ, imo & adhibere ſolet tanquam motivum operandi delectationem præviam

viam in voluntate, uti ſuo loco dicemus: igitur non potuit ſubtrahere illud adjutorium proprium voluntatis. Hoc item argumento utitur Suarius, tom. 2. de grat. l. 3. c. 7. & 9. ad probanda auxilia intellectus & voluntatis in omni ſtatu eſſe neceſſaria: additque c. 7. 1. Aſſert. 4. *Excitationem* intellectus *talem eſſe debere, ut poſſit in voluntate aliquem effectum commovere, nam ad hunc finem datur.*

Sed jam apertis urgeo argumentis. Primò quia poſitâ illuſtratione intellectus non poteſt non ſequi affectus aliquis in voluntate, cum id poſtulet connaturalis modus operandi earum potentiarum: quæ ita connexæ ſunt, ut ſibi mutuó reſpondeant: nam ſicut voluntas niſi interveniente intellectu excitari nequit, ita è contrario datâ in intellectu conſideratione aliqua idonea ſtatim excitatur in voluntate motus quidam reſpondens conſiderationi intellectus. Unde ſi Adami intellectus illuſtrabatur, connaturaliter afficienda erat voluntas: neque poterat lux illa mentis citra calorem voluntatis conſiſtere: neque id negare auſus eſt Morainés admittens hanc indeliberatam motionem in voluntate: qua admiſſâ neſcio quomodo negare auſus eſt hujuſmodi motionem ad auxilium Excitantis in Adamo Innocente Gratiæ pertinere.

Secundo, Quia etſi Adami voluntas ſana & ſancta eſſet, non ideo non egebat excitatione propria, nam non ſolum datur Excitans Gratia propter difficultatem & excellentiam operis ſupernaturalis, quæ indiget excitatione potentiæ, & ex alia ratione connaturali quæ poſtulat, ut habitualis virtus excitetur per motionem actualem,

actualem, uti videmns fieri in hominibus juſtis & ſanctis qni cum habeant gratiam ſanctificantem & habitus infuſos, tamen ſine actuali excitatione voluntatis non poſſunt eos actus exercere.

Tertiò quia injuria Gratiæ Excitanti fieret ſi ea removeretur à voluntate, & poneretur motus concupiſcentiæ ad malum in eadem ad peccandum. Ecquis enim neget aut Adamo integro, cum peccavit, aut nobis lapſis cum peccamus non fuiſſe, aut non eſſe aliquem motum, cupiditatis in voluntate per tentationem ante peecatum? Qni ſi non fuit, aut eſt in nobis bonus ante bonum opus, profecto majus quiddam tribuimus invitanti concupiſcentiæ, quam præparanti Gratiæ.

Quartò, Quia in hoc ſtatu naturæ lapſæ ſunt juſti, qui eò ſanctitatis pervenerunt, ut Adamo integro ſaltem pares ſint: nemo autem dicere audeat eos ſola illuſtratione intellectus excitari: igitur, nec id de Adamo quiſquam poterit affirmare. Sane ineptum eſt præcipuam in bono operando, & unicam in merendo potentiam propriâ Gratiâ intimâque motione deſtitui: etſi id naturalis earum inter ſe potentiarum ordo & ſympathia pateretur.

His argumentis ſatis opinor illa Richardi & Morainii ſententia confutatur: quam Suarez prorſus elidit tom. 2. l. 3. c. 7. & 9, ubi ait n. 7. *Indiguiſſe hominem in ſtatu Innocentiæ* Gratiâ hujuſmodi Excitante: quia neceſſitas *Gratiæ Excitantis ad hos actus non eſt quaſi per accidens propter corruptionem naturæ, ſed per ſe, propter excellentiam talium actuum*: Et ibidem infra affirmat rationes

rationes ſupra factas de hominibus juſtis in ſtatu ruinæ procedere in Angelis *quia non fundantur*, inquit *in peculiari conditione naturæ lapſæ, ſed in propria natura talium actuum. Et ideo illæ ſententiæ: Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere: & qui cæpit in nobis opus bonum perficiet. Non minus habent locum in Angelo, & in homine integro, quam in lapſis.* Rationem vero quam primo loco adhibui præclarè expendit, *c. 7. n. 7.* Norit Richardus & Moraines ſuæ ſe ſcholæ Auguſtino (namſic Conimbricæ audit Suarius) adverſari.

Quod attinet ad Secundam. Satis ea liquet ex ipſius natura Adjutorii, & modo juvandi in eo ſtatu potentias quem nos latè & accuratè libro proximo Auguſtini locos expendendo deſcripſimus. Erat enim illud Adjutorium *Poſſibilitatis* excitans proximé, & conſtituens in actu primo Potentias, apte illuſtrans intellectum & ciens voluntatem, ut nihil ei ex parte Adjutorii deeſſet ad agendum, ſi vellet agere pro ſuo arbitritio: quod cum eſſet integrum & ſui omnino perfecti juris nec ullo intrinſeco vitio affectum, ita movebatur ab illa actuali inſpiratione Adjutorij, ut leniter tantum ac leviter pulſaretur, quantum ſatis eſſet ad excitationem moderatam & juſtam: quæ tam erat in poteſtate arbitrii, ut immotũ inconcuſſumque relinquens, ſuggerentis modo, ac ſe præſtó eſſe ſignificantis flexum ad ſe converſionemq; illius pro ſuo ſe agentis libito expectaret. Quæſumma eſt totius anteactæ libro primo ratiocinationis: quæ cum ibi toties a nobis inita ſit non debet hic vehementius inculcari. Cum præſertim nemo de hujuſmodi adjutorio quæſtionem moveat, quod perinde erat ac *Sufficiens Auxi-*

ilium cujus est natura, & excitatio penitus perspecta & explorata. Nam ut uno verbo dicam Hoc Adjutorium *Sine quo non* efficiebat in Adamo & Angelis quod Scholastici opinantur in hoc statu nostro efficere, quatenus ante efficax sumitur & ab eo distinguitur: modo dicant illud non esse tantum oblatum, sed re exhibitum excitans voluntatem, & in ejus potestate relictum atque adeo nihil mutans, detrahensquè de indifferentia in æquilibrio positæ voluntatis. Non examino utrum bene sentiant an secus qui illud ita constituunt, ac recipiunt: nam id alterius est loci: sed uti constitutum abijs receptum vendico & applico. Neque ulla hac dere mihi cum ullo Authorum non Catholicorum modo, sed nec etiam Hæreticorum controversia est. Imo ne cum Semipelagianis quidem Augustino de illo Adjutorio modovemovendi contentio fuit: uti ex Epistolis Prosperi & Hilarii apparet. Tantum controversia esse potuit An ad omnes omnino actus etiam ad initium fidei esset in hujusmodi statu ruinæ necessarium: qua de supra nos Art. 5. egimus in censura Quartæ propositionis Jansenii, & iterum accuratius agemus.

Quia tamen video aliquos apud Suarium tom. 2. de Grat. l. 3. c. 9. n. 5. negasse Auxilium Excitans Adamo in statu Innocentiæ, quod crederent naturæ integræ ac sanæ, & omnibus Habitualis Gratiæ præsidiis instructæ solo concursu concomitantis Gratiæ opus fuisse, inter quos est Bellarminus l. 16. de Grat. Primi Homin. c. 4. á quo id quibusdam Augustini testimoniis & hoc ipso libro de Correpț. & Grat. suadetur: volo hic perspicué ostendere Adjutorium illud antecedenter excitasse:

atque

atque adeò distinctum a cooperante Gratiæ concomitantis auxilio fuisse idque testimoniis Augustini ex eodem & libro desumptis: nam nusquam ea sunt manifestiora.

Primum Augustinus c. 10. loquens de Adamo Innocente ait *liberum arbitrium parum esse ad bonum, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono* quod de natura ipsius arbitrii intelligit, quæ adjuvanda est a Deo, haud dubiè Auxiliis Gratiæ, in quibus est Excitans & Præveniens. Unde ex ratione generali operandi bonum Gratia Excitans Adamo necessaria erat: sed proprie de illo statu mox Augustinus. *Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus, sed deseruit & desertus est.* Hoc sane non erat operans, sed Excitans: nam operans non deseritur, nec deseri potest in sensu composito cum jam sit cooperans, & in actu secundo: Excitans vero cum antecedat operationem & ad actum primum pertineat potest deseri, & deseritur. Pergit Augustinus, & adhuc manifestius exprimit *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc est prima Gratia quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit.* Comparatio declarat quæ sint Adjutoria comparata: nimirum excitantia, nam certe Adjutorium *Quo* excitans est efficax, uti hactenus ostendimus. Igitur alterum huic collatum est item Excitans: imo clarius patet hoc Excitans esse, cum eo possit homo velle si velit, proinde velle non involuat, sitque á cooperante distinctum, & disjunctum. Huc pertinet illa sen-

tentia *quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium, si vellet desereret* illud necessarium ad manendum poterat deseri, igitur aliquid erat datum ad operandum quod tamen non erat operans quandoquidem deseri ac relinqui poterat ante operationem. Hoc quoties repetit Augustinus hoc c. 11. & 12. repetit autem decies novies, toties docet hujusmodi Adjutorium esse Antecedens & excitans: non & concomitans & operans. Imo si utra ex his duabus Gratiis videbitur confundi cum Auxilio cooperante in Augustini sententia erit potius secunda efficax, quæ est cum operatione conjuncta, quam illa prima, quæ est ab operatione disjuncta, & quæ sine operatione consistit. nec opus est hujusmodi sententiam rationibus impugnare, cum & sæpius id ante egerimus, eamque Suarius & libro quondam de Auxiliis, & nunc isto recenti de Grat. c. 7. & 9. & Vasquez 1. 2. disp. 193. c. 3. & 4. alij que Theologi confutarint.

Maneat igitur effectum hujus Adjutorii *Sive quo non* fuisse illustrare mentem, & ciere voluntatem moderatâ flammâ, quæ ita esset in ejus potestate, ut eâdem illam facilitate accenderet vel restingueret: nec nisi ejus arbitrio temperaretur.

CAP.

CAP. VI.

Utrum Ajutoriorum Sine quo non *detur in ſtatu naturæ lapſæ, & An ſit ex meritis Chriſti?*

GRavis quæſtio quoad utranque partem: ac idcirco accuratè tractanda. Primum conſtat in doctrina Auguſtini Gratiam Adæ innocentis & Angelorum non fuiſſe effectum mortis Chriſti. Non enim fuit Gratia Redemptionis, nec remiſſionis Peccatorum, quæ ſola eſt Gratia Chriſti. Fundatur ea doctrina in primo Auguſtinis principio, & duabus ex eo deductis theſibus poſt librum primum á me propoſitis, ac multis locis ejuſdem confirmatis, tum ibi, tum in mea cortina tract. 3. ubi oſtendi Verbi Divini Incarnationem nec definitam nec inſtitutam niſi in Remedium Peccati. Ex quo ſequitur Gratiam quæ non ſit Remiſſionis Peccati contracti aut præſervationis contrahendi (quod addeo propter Immaculatam Virginis, â qua debitum non excludo, peccatum rejicio, (*conceptionem*) non eſſe Gratiam Chriſti.

Hinc exiſtit quæſtio. An illa Gratia data Adamo & Angelis detur poſt peccatum & An ſit ex meritis Chriſti? Et quidem Auguſtinus in hoc libro de Corrept. videtur negare, dum Adjutoria ita diſtinguit ut pro ſtatibus

bus dividat, & cuique ſuum uti proprium aſſignet: & ita opponat ſtatus & Gratias, ut omnino ea velit eſſe diverſa. Præterea diſtinguens hæc Adjutoria vult ut ſecundum ſit ex meritis Chriſti, & multó potentius alio, arque adeo *Quo fiat* opus. Unde apparet hoc totum eſſe proprium ſtatus naturæ lapſæ, non aliud quod minus eſt. Accedit, quod illud Adjutorium erat naturæ ſanæ, & integræ, & ineptum naturæ ægrotæ ac debili, quæ ſane exigit aliud ſanans ac erigens, & ſuſtentans, proindeque Adjutorium *Quo*. Tandem illud Adjutorium erat proprietas quædam illius ſtatûs, quæ cum eo debuit extingui, ſicut reliquæ proprietates illius perierunt. Atque hoc ipſum docuit Auguſtinus, cap. 11. aiens de illo auditorio. *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt.* Ex quo aliud deducitur argumentum: nam illud Adjutorium omnibus commune erat in primo ſtatu & quaſi debitum naturæ integræ: at vero in ſtatu naturæ lapſæ non datur Authore Auguſtino Auxilium Gratiæ omnibus omnino hominibus, uti nos ex ejus doctrina in theſibus noſtris, 14. 15. 58. & 60. ad 62. & in tract. 3. monſtravimus. Mitto alios locos & rationes, quia faciles inventu ſunt apud Auguſtinum.

Nihilominus Author ſum Adjutorium iſtud *Sine quo non.* dari in ſtatu ruinæ poſt peccatum. Novum id videbitur nòvis Auguſtinianis, & in Auguſtino verſatis: nam & mihi aliquando aliter viſum fuit, ſed re intentiſſimè conſideratâ inveni Auguſtinum hoc genus adjutorii in natura lapſa poſuiſſe, diſtinctum ab adjutorio *Quo*, ita ut in primo ſtatu unum tantum fuerit Adjutorium *Sine*

quo

quo non: in ſecundo duo ſint Adiutoria; Alterum illud *Sine quo non* á primo ſtatu acceptum, & aliquantum mutatum ac deflexum, Alterum iſtud proprium id eſt *Quo* de novo conceſſum, & per Chriſti ſanguinem comparatum. Probo id veris ac ſolidis, non fucatis & inanibus argumentis.

Primum eſto. In Auguſtini doctrina invenimus quoddam genus Adiutorii Gratiæ Excitantis actualis omnino diſtinctum ac diverſum ab Adiutorio *Quo*. Id autem eſt illud primum *Adiutorium Sine quo non*. Igitur in Auguſtini doctrina admittendum eſt. Si propoſitio certa ſit, conſtat veritas argumenti. Propoſitio autem perſuadetur: ex iis quæ docuimus in Cortina noſtra ſex Concluſionibus á 51. ad 8. & in earum probationibus, Tract. 3. Ac ſupra in Theſibus eiuſdem numeri affirmavimus Inveniri in *Auguſtino* Gratiam Inefficacem diſtinctam ab Efficaci ideſt adiutorium *Sine quo non*. Et quidem hoc nos evidenter ſupra oſtendimus in Expoſitione Conſtitutionis Pontificiæ art. 3. ubi contra Janſenium probavimus *Dari omnino Gratiam inefficacem cui reſiſtitur*: atque hoc ipſum Auguſtino authore multis & idoneis argumentis oſtendimus duplici ratione. Altera petita ex eo quod Juſti *Deum deſerant* aliquando per peccatum; unde deducitur Gratiam eos, cum peccant, efficacem non habuiſſe, ſed aliam Inefficacem, cui non conſenſere peccando: Altera inde ducta, quod tradat Auguſtinus quaſdam Gratias parvas & remiſſas non efficaces, & vehementes, quæ in nobis efficiunt voluntates parvas & infirmas, non validas & robuſtas, quibus præcepta non implentur, atque adeo cum iis operantes

perantes in lege Dei deficiunt, niſi ampliori Gratiâ juventur: Unde concluditur genus aliud adjutorii diverſum ab adjutorio *Quo* inveniri. Ea vero teſtimonia non eſt opus repetere, ſed ea aliis confirmari operæ pretium duco.

Et quidem ex tribus Auguſtini locis interſe collatis efficax ducitur argumentum. Illi ſunt c. 26. lib. de nat. & Grat. 17. l. 2. de peccat. mer. & remiſ. c. 19. ejuſdem libri. In primo De nat. & Grat. ait Auguſtinus Deum *non deſerere hominem juſtum niſi ab eo deſeratur* hunc autem *non poſſe rectè vivere niſi divinitus adjuvetur.* In ſecundo autem, Lib. 2. de peccat. mer. & remiſ. affirmat juſtos peccare, ideſt Deum deſerere, atque adeo deſeri á Deo, nec *juvari eâ gratiâ, qua Peccatum vincatur* cujus ſubtrahendæ cauſa *non eſt in Deo, ſed in ipſis.* In tertio verò: Ejuſdem lib. c. 19. aſſeverat *Deum bonum ſanctis ſuis aliquando non tribuere certam ſcientiam vel victricem delectationem.* cum qua omnino peccatum vincitur, & ſine qua homo vincitur. Unde liquet manere hominem cum aliquo auxilio (nam aliter peccare non poſſet) quod non ſit illud adjutorium efficax quo vincitur peccatum. Ac ne opponas ſine ullo genere auxilii peccare hominem juſtum, affero conſtantem *Auguſtini* doctrinam negantis cadere poſſe peccatum in eum qui nullo juvetur auxilio: uti apparet ex illâ ſententia, lib. de Correp. & Grat. c. 11. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo vel homini, quam primum facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino Adiutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent.* Quod in omni ſtatu verum eſſe, inde conſtat, quòd *Auguſtinus* perpetuo docet. *In*

eo

eo quod vitari non poteſt Peccatum eſſe non poſſe. Quemadmodum in noſtra Cortina quæſt. de neceſſitate & libertate Peccandi accurate ortendimus, rurſumque Art. 4. conſtitutionis Pontificiæ monſtravimns.

Aliud argumentum eſto deſumptum ex illo loco c. 13. de Corrept. & Grat. in quo Auguſtinus tria hominum genera diſtinguit. Prædeſtinatos qui perſeverant & ſalvantur: Infideles qui aut cum ſolo peccato originali decedunt, aut alia addendo actualia in ſua infidelitate moriuntur: Fideles qui auditâ Fide, & acceptâ Gratiâ ab ea cadunt & non perſeverant. De his autem: *Aut gratiam* inquit *Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeverant: deſerunt, & deſeruntur. Dimiſſi ſunt enim libero arbitrio, non accepto Perſeverantiæ dono judicio Dei juſto, & occulto.* Hîc manifeſtum eſt huic tertio hominum generi diverſum Gratiæ genus, cum deficiunt, & temporales ſunt nec perſeverant, omnino donari: quod eſt Inefficax: atq; adeo non eſt adjutorium *Quo.* Eſſe autem illud adjutorium *Sine quo non*, indicat illa pars teſtimonii. *Dimiſſi ſunt enim libero arbitrio* nam illa phraſis quadrat in adjutorium *Sine quo non*, quod ait Auguſtinus eſſe in poteſtate arbitrii: eo enim Arbitrium pro ſuo libito, dominantis more, utitur, vel non utitur, ita ut operatio ſecuta libero arbitrio tribuatur, quemadmodum nos multis proximo libro diximus. Hic autem liquet: *liberum arbitrium* non ſignificare liberum arbitrium nudatum gratiâ; nam proximé dixerat Auguſtinus *Gratiam Dei ſuſcipiunt.* Ac de quibus hoc dicit de iis ait *Dimiſſi ſunt libero arbitrio* ideſt Gratiâ Inefficaci adjuto: cum qua defecit & deſeruit Deum áquo poſtea eſt deſer-

tum, ac homines eo male utentes *dimissi sunt libero arbitrio* cum solo adjutorio *Sine quo non* quod cum Efficax non esset, perseverantiæ donum non habuerunt, proindeq; perierunt.

Confirmatur eadem mens ex doctrina de Dono Perseverantiæ: nam hoc ex Efficaci Auxilio procedit: at hæc multis Fidelibus non datur: iis nempe qui cap. 9. ejusdem libri *Filii Dei temporales* dicuntur *propter susceptam temporaliter Gratiam.* Quæ sane cùm defecit, monstravit, non esse Adjutorium *Quo*, sive Efficax: imo Ineffi-cax atq; adeo *Sine quo non*.

Locis ac testimoniis objectis non possumus respondere ante decisam sequentem quæstionem quæ petit. Utrum hujusmodi adjutorium Gratiæ, sit ex meritis Christi Domini? necne? Cui breviter respondeo. Illud prout donatum Primo statui non fuisse ex meritis Christi: prout restitutum statui nostro post Peccatum esse ex meritis Christi. Patet sententia. Nam illud Adjutorium cum esset Gratia, ablatum est homini per Peccatum Originale, quod est *Privatio Gratiæ*. At reparato per Christum hominem, illud adjutorium rursum redire quod non rediret, nisi ille Redemptor esset: atque uti restitutum est effectus sanguinis Christi; Quare autem istud adjutorium redierit, ea ratio esse potuit quod cum antea esset in eo statu, homine redempto debuit redire: nec prorsus extingui, cum præsertim qui eo carerent adulti, iis peccatum imputari non posset, si peccassent: imo eo destituti non peccassent, cum sine eo vitare peccatum non possent. Fateor tamen hanc meam sententiam vix ullo perspicuo Augustini testimonio

nio posse confirmari. Sed est rationi maximé consona: & Augustini doctrinæ, nam cum isti homines sint Fideles, & dum justi fuerunt vere non fictè justi, per Christi sanguinem eam Fidem & justitiam acceperunt, atque adeo etiam Gratiam, quæ in Fide fundatur. Atque ita me docuit Augustinus lib. de Correpț. & Grat. c. 9. & 13. non omittam etiam testimonium quoddam ejus afferre unde mihi lux hæc oborta.

Est autem illud in cap. 11. hujusce libri de Correpț. & Grat. ubi sic Augustinus loquens de Adjutorio *Sine quo non* Angelis & Adamo collato. *Nunc autem quibus deest tale Adiutorium, iam pœna peccati est: quibus autem datur secundum gratiam datur, non secundum debitum, & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id Deo dare placuit, ut non solùm adsit sine quo permanere non possimus etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale ut velimus.* In quibus verbis illud expendo, hoc adjutorium non esse *debitum* idest addictum sequens ve naturam, quemadmodum dici potest fuisse in primo illo statu quòd homini Innocenti, & Angelis sanctis erat illud adjutorium ex æquitate debitum: & veluti connaturale. Quod aliter est in statu nostro: qui est ruinæ & Peccati: cui erat annexa Gratiæ privatio: Unde ne videatur debita, non omnibus patet, authore Augustino, sed *deest* quibusdam *in pœnam peccati.* Aliis autem datur *gratuitò*, non *ex debito.* Hæc cum Augustinus dixisset addidit conjunctionem, *Et tanto amplius datur* conjungens per illud *Et* Gratiam primam cum sequente, Inefficacem cum Efficaci: hanc enim significat reliqua usque ad finem periodi sententia *Tantò amplius datur*, &c. Con-

jungensque utranque dixit *Datur per Iesum Christum Dominum nostrum* perinde ac utraque per Christum esset: nam illa conjunctio *Et* nectit ambas inter se, ut illud *Detur Per Iesum Christum* cadat super ambas illas Gratias. Ut sensus sit: *Quibus* datur Gratia illa primi status, datur non *secundum debitum, sed secundum gratiam, & hæc & tantó amplius hâc datur, ideſt tanto major datur Per Iesum Christum* ut Efficax sit. Itaque affirmat utranq; dari, & illam primam & istam secundam: & illud minus & istud amplius. Si enim mens Augustini esset dicere solam efficacem dari per Christum, aliter diceret, nec conjunctionem adhiberet, sed diceret *sed tanto amplius datur*. ut illa particula divideret utranq; non copularet. Et quanvis illud *Per Iesum Christum* non applicetur nisi Gratiæ Efficaci cum dicitur *Tanto amplius datur Per Iesum Christum* non ideo non pertinet ad primam interventu conjunctionis & nexus. Et quidem cum utraque Gratia sit conjuncta, & illa ad secundam tendat disponatq;, uti postea docebimus ex Augustino, & sit per Christum restituta, necesse est ut in Augustini doctrina ex Christi meritis data sit: & nullum sit adjutorium quod Christo acceptum non referatur.

Quòd attinet ad locos & testimonia ex Augustino objecta, uni tantúm & alteri opus hîc est respondere. Cætera in cæteris quæstionibus suo ordine solventur. Et quidem primo de statuum diversitate, & Adjutoriorum differentiis respondeo. Status esse mutatos, sed non omnes statuum proprietates & conditiones sublatas, & amissas esse, cum præsertim Christi Redemptoris sanguine multæ non modo sint restitutæ, verum etiam

etiam auctæ, & amplificatæ. Itaque quemadmodum manſit liberum arbitrium, & ſi infirmatum, & attenuatum, ita manſit illud Adjutorium *Sine quo non.* paulum deflexum, imminutumq; : atque uti illud arbitrium ſanatur & ſtatuitur per Gratiam Efficacem majoris virtutis, ita illud Adjutorium *Sine quo non* augetur, & perficitur per adjutorium *Quo.* Decebat autem, ut remaneret Adjutorium *Sine quo non.* Quia quemadmodum ſupra diximus, non poterant eo carere homines illi qui accepto lumine Fidei, ejus præcepta & mandata ſervare tenebantur.

Alteri argumento petito ex eo quod Adjutorium *Quo* eſſet proprium ſanguinis Chriſti ob majorem & efficacem virtutem, occurritur dicendo verum quidem eſſe hoc Adjutorium prorſus ac proprie à Chriſto profectum, id tamen non obſtare quominus aliud commune alteri ſtatui per Chriſti ſanguinem fuerit reſtitutum, uti antea expoſuimus.

CAP.

CAP. VII.

Quid? & Quomodo in statu naturæ lapsæ hujusmodi Ajutorium Sine quo non *operetur?*

RAtio dubitandi magna est: quia istud Adjutorium in statu naturæ Integræ erat ita accommodatum voluntati ut in ejus esset potestate, nec ei daret actu sed præpararet ad illum, ac posse cónferret: quia sine illo nón poterat agere arbitrium: at eo accepto poterat se determinare ad agendum, utens illo pro sua virtute, quæ cùm esset intrinsecê sana & recta concurrebat cum illo Adjutorio, Excitànte quidem, sed minimé prævovente, aut inclinante: sed eam solum leviter afficiente, ác eam indifferentem omnino relinquente, ut cum integro sui dominio gratiam haberet in potestate: quæ ipsius motum arbitrii expectaret, & sequeretur. Ita ut Arbitrium utens gratiâ, sicut instrumento, esset præcipua ratio operandi. Hæc est summa Augustinianæ de illo Adjutorio sententiæ, quæ satis à nobis & sæpe primo libro explicata. Ea sic exposita videtur quadrare in statum naturæ lapsæ. Nam cùm hæc sit corrupta & vitiata peccato, & affecta pravâ concúpiscentiâ, atque adeo prona in peccatum, hoc tantum accepto Adjutorio ejus potestati commisso, a quo solum leviter pulsaretur

retur, neque á ſuo gradú moveretur, ſed in eodem relicta perſiſteret, certe ad bonum nunquam movebitur, ſed ad malum, nam ſibi relicta, ponderé ſuo ad malum ruet quod á Gratia non antecedenter moveatur, imo ipſa ſe moveré debeat, ut Gratiam ſecum trahat; quod cum per ſuam virtutem quæ corrupta & vitiata eſt, atque ad malum propenſa, facere non poſſit, ſemper deficiet & declinabit ad Peccatum. Confirmatur, quia Gratia tunc agit vicem inſtrumenti, cujus uſus pendet á voluntate, quam expectat, ut poſsit agere: nec enim actio eſt ab inſtrumento principaliter, cum ab Agente inſtrumentum agatur & moveatur.

Hæc ratiocinatio ex Auguſtini doctrina eſt, ac idcirco nos eam in concluſionem recicimus in noſtra Cortina: & conſtat ex Theſi 17. & 18. & probatione earum tract. 3. Cortinæ. Plures ibi locos citavi ubi id ex Auguſtino deducitur. Hîc unum manifeſtum produco, qui rem prorſus continet. Ergo lib. illo plané aureo de Corrept. & Grat. c. 12. cum intuliſſet, in ſtatum naturæ lapſæ Adjutorium *Quo* & Efficax, uti majus & potentius alio *Sine quo non* rationem afferens: *Nam ſi* ait *in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfii virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, Sine quo perſeverare non poſſent manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent.* Non dixi ego manifeſtius quàm docuit Auguſtinus. Et ultra cum eo procedam con-

confirmando exemplo Adam, qui ſi ſanus, & integer, tot, & tantis Gratiæ præſidiis munitus eo præditus Auxilio defecit ac peccavit, quomodo nos corrupti, infirmi, & miſeri ſervi concupiſcentiæ, mancipia peccati eodem ſolùm adjuti Auxilio non ruemus & peccabimus. Ille inquit Auguſtinus, *Adam terrente nullo & inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate.* Et paulo poſt *illi ſine ullo peccato data eſt, cum qua conditus eſt voluntas libera, & eam fecit ſervire peccato.* Addo pondus ex eodem Auguſtino: qui plané colligit ratiocinando majorem virtutem Gratiæ neceſſariam eſſe hominibus lapſis ad non peccandum: imo ex eo deducit aliud ijs fórtius ac potentius donari Auxilium, ideſt Adjutorium *Quo Efficax*: quia ſi Adamus cum minore ideſt Adjutorio *Sine quo non* in tanta felicitate & ſanctitate peccavit, ſequitur in tanta infirmitate, & imbecillitate miſeriaq; cum eodem duntaxat auxilio omnino eſſe peccaturos. Id tribus in locis ejuſdem capitis affirmat: ultimus eſto illius clauſula. *Ita factum eſt ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cum voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit habens virtutem liberi arbitrii, quamſi non defuturo adiutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit, atque per miſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Tam perſpicua ſunt hujuſce capitis teſtimonia, ut opus non ſit alia producere: ſed ulterius ad propoſitam quæſtionem pergere: cujus quidem difficultas

cultas maxime hac ratiocinatione aucta est. Nam si istud Adjutorium non satis erit ad vitandum in nostro statu peccatum, tollendum potius est, quam ponendum: nam quis illius sit usus non apparet.

Nihilominus retinendum prorsus est hujusmodi Auxilium juxta doctrinam Augustini & secundùm rectám rationem. Constat igitur esse in nobis parvas quasdã & infirmas voluntates bonas quæ conatus & impetus quidam ad virtutem sunt: quæ in peccatoribus præsertim vitiis deditis, & inveterato usu peccandi obstinatis inveniuntur, ac eorum pulsant excitantq; voluntates, sed non movent efficaciter, & tantùm actus inchoatos & imperfectos eliciunt, qui *velleitates* dicuntur. In sanctis vero & justis eosdem sæpe videmus: nam non semper ij perfectè operantur, & easdem velleitates experiuntur. Igitur ad hujusmodi actus imperfectos, quæ sunt inchoata desideria boni in peccatoribus, & justis istud Adjutorium, & exigitur, & invenitur: quod illos tantummodo operetur: de quo nos superiori capie breviter, & latissimè tract. de mente Pontificis Art. 3. disputavimus. Deinde cum vel ijdem Peccatores peccata multiplicant, & Justi á recta via primùm Peccando deficiunt, & quoties postea delinquunt, toties ijs hujusmodi Gratia adest, quæ cùm leviter pulset ac inefficax sit & similis illi Adjutorio Gratiæ procul dubio illa Gratia est quæ adesse debuit ex ea ratione generali, qua dicitur *In eo quod vitari non potest peccari non posse*: & cum adesset victrix non fuit: atque adeo Efficax non fuit, quod est ipsum Adjutorium *Sine quo non*, non *Quo*. Unde deducitur evidenter fuisse Gratiam *Inefficacem* ideſt

ipſum Adjutorium *Sine quo non.* Cujus in hoc ſtatu virtus eſt imminuta, ratione naturæ vitiatæ & corruptæ, & Arbitrii *inclinati* & *infirmati* & *attenuati* ſecundum doctrinam Concilii Arauſicani cap. 8. 13. & 26. á nobis ſuperius expoſitam Art. 6. quæſtionis Pontificiæ.

Hanc differentiam Adjutorii Inefficacis ab Efficaci ita declaratam ex Auguſtino accepi. Et quidem ea clara eſt circa primam partem Auxilii efficientis *parvas illas & infirmas*, ut Auguſtinus vocat, *voluntates*: nam illas non eſſe a Gratia magna & efficaci, id eſt Adjutorio *Quo* perſe conſtat, & perſpícué tradit, lib. 2. de Peccat. mer. & remiſſ. c. 4. & 5. & 19. clariſsimé. & lib. de ſpir. & litt. c. 4. expreſſe. nec minus lib. de Grat. & lib. arbitrio c. 4. & 15. ac lib. de perfect. juſt. prope finem, & aliis pleriſq; locis, quos citavi in Quæſt. Pontif. art. 3. in quibus docet per motus inchoatos, & imperfectos per Gratiam factos in voluntate non impleri mandata: nam ſunt voluntates, & impetus, qui tandem *in mediis conatibus ægri deficiunt.* Qui tamen non deficerent, ſi augeretur Gratia, & per eam auctam & robuſtam voluntas valida, & robuſta redderetur: per hanc enim præcepta implerentur. Et quoniam ex recta hujuſce rei intelligentia tota pene diverſitatis horum Adjutoriorum cognitio pendet, eam accuratius ex mente Auguſtini pendamus.

Certum igitur illius principium eſt. Varias & multiplices voluntatis noſtræ vires eſſe, diverſos que gradus libertatis, ac ſecundum eos actuum in nobis varietatem exiſtere, per quos illa vis & poteſtas liberi arbitrii ſe prodit & manifeſtat. Hinc deſideria, hinc impetus,

hinc

hinc conatus: hinc actus inchoati, & imperfecti, hinc jam formati, ſed remiſſi, qui deinceps augentur & creſcunt, adeoq; intenduntur, ut ad gradum ſummum, qui heroicus eſt perveniant: creſcente ac intendente ſe & extendente libertate, quæ variè affecta in ipſis viſitur nunc minor, nunc maior, nunc remisſior, nunc intenſior, nunc infirmior, nunc robuſtior intrá modum & latitudinem libertatis. Eadem ratione varios, & multiplices eſſe motus Gratiæ voluntatem ad hoſce actus excitantes. Ita ut parva Gratiá parvos, magna magnos, maxima maximos in voluntate motus efficiat: ſua que habeat incrementa, & decrementa, intenſiones, & remiſſiones, varieque afficiat voluntatem, quæ juxta pulſus Gratiæ multa liberè ſẽper, ſed diſerſimode, prout excitatur, moveturq; reſpondeat: atque adeo & Gratia diverſos in excitando modos, gradus que, & voluntas in operando habeat. Omnes intra libertátem, ac citra neceſsitatem. Aliquando enim, ideſt, cúm éſt parva Gratiá, tota ejus virtus eſt in poteſtate voluntatis, imo ab hac obruitur, & opprimitur, quod validior, & potentior vis eſt malæ voluntatis, quam Gratiæ excitantis: creſcente tamen virtute Gratiæ ac ſe intendente exparte Dei, remittente que ſe voluntatis reſiſtentiâ paulatim flectitur, inclinaturq; voluntas ad bonum, donec tandem non reſiſtat, & Gratiam vincentem ſequatur; à ſtatu priore cùm prona erta ad malum, & ſecundo cum ad utrunque, bonum ac malum indifferens & ambigua erat virtute Gratiæ extracta, & ad bonum inclinata & perducta: ut ſint hæc omnia momenta libratæ voluntatis, omnino intra libertatem, ſed effectus Gratiæ Excitantis:

tantis : quæ interdum vincitur, cum parva eſt, & remiſſa : interdum vincit, cum eſt magna & intenſa, ut ſuperet reſiſtentiam voluntatis, non tamen adimat potentiam reſiſtendi.

Et veró hic ratiocinandi modus apparet in motibus, quos in voluntate facit concupiſcentia ad malum. Cujus interdum tam parvi ſunt, tamque tenues motus, ut eos voluntas non curret, preſertim ſi ſit hominis juſti & ſancti: interdum creſcunt & intenduntur, ita ut faceſſant negotium voluntati, & opus ſit iis occurrere : interdum autem ſic augentur, ut opus ſit cum iis exertis omnibus viribus voluntatis luctari : & aliquando in ea lucta contingat iuſtum hominem deficere & ſuperari. In his quatuor (tot ſunt quippe) eventibus ſemper eſt libera voluntas, & tamen diverſo modo libera, & in eodem ſtatu libero, diverſi tamen ſunt gradus libertatis, concupiſcentiæ tentantis motibus reſpondentes. Imo in eodemmet actu videbis inchoari amorem pulchritudinis, & paulatim intendi, donec inflammetur, ardeatque voluntas : & tandem victa conſentiat. Annon per gradus ârdor ille cupiditatis crevit uſque ad flammam quæ in conſenſum erupit, decurſo ſpatio libertatis, intra quod ignis ille cucurrit? Ecquis enim abillis carceribus primi conatus uſque ad metas conſenſus liberi, curriculum eſſe non videt latum, amplum que libertatis? imo in eo diverſos gradus, ſtationes que, in quibus ipſa libera vis poteſtaſque conſiſtat? Hæc eſt germana & genuina Auguſtini mens de motibus tum libertatis, tum gratiæ, tum concupiſcentiæ. Cujus luculentior expoſitio ad tractatum quem cogito de libertate & indifferentia reſervanda

ſervanda eſt : non poſſum tamen non ſuis nunc, idoneis teſtimoniis confirmare.

Primum de variis motibus, & viribus voluntatis in actus diverſos imperfectos, & inchoatos : validos & perfectos, qui ex aptis & accommodatis Gratiæ pulſibus exiſtunt, ita Auguſtinus. lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 15. *Semper in nobis eſt voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona* : Tunc. *Gratia Dei ſemper eſt bona : & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit ut ipſa bona voluntas quæ jam eſſe cæpit augeatur : & tam magna fiat ut poſſit implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfectè quæ voluerit.* Et paulo poſt. *Oret* ut habeat *tantam voluntatem, quanta ſufficit adimplenda mandata. Sit quippe adiuvatur, ut faciat quod iubetur.* Et c. 16. *Ab illo petendum eſt ut tantum velimus, quantum ſufficit ut volendo faciamus.* & rurſum cap. 27. *Qui vult facere DEI mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam* : Sed *adhuc parvam & invalidam : poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam* Alter locus eſto Serm. 3. de verbis Apoſt. *Sufficit tibi Gratia mea. Adjuvandus es ut plene velis, & impleas quod velis.* Tertius lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 3. *Ad non nulla ſuperanda vel quæ male cupiuntur, vel quæ male metuuntur, Magnis aliquando, & totis opus eſt viribus voluntatis : quas non perfecte in omnibus adhibiturus eſſe prævidit. Deus.* Et lib. de ſpiritu & litt. c. 34. *Fieret* juſtitia, *ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet tantem tanta, ſi nihil eorum quæ pertinet ad juſtitiam nos lateret : & ea ſic delectarent animum, ut quicquid aliud voluptas, ſive dolor impedit, delectatio illa ſuperaret.* Nec opus eſt pluribus hujus generis

generis teſtimoniis. Pergamus ad Gratiam inqua reperiemus eoſdem gradus minoris, & maioris, ſive intenſionis & remiſſionis accommodaté ad voluntatem.

Primus ac illuſtris eſto locus libro. 2. de Peccat. mer. & rem. c. 5. ubi ſic. *Adiutor noſter Deus dicitur. Nec adiuvari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis in quorum natura rationem voluntatem que non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adiuvet, illum non adjuvet: Illum tantum, illum autem non tantum: iſtum illo: illum iſto modo, penes ipſum eſt, & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis.*

Secundus huic geminus eſt in libro de Grat. & lib. arb. c. 15. *Gratia Dei ſemper eſt bona: & per hanc fit ut ſit homo voluntatis bonæ, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cæpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſsit implere Divina mandata.* & c. 16. *Ab illo Deo petendum eſt ad tantum velimus quantum ſufficit, ut volendo faciamus* & mox. *Certum eſt nòs facere cum facimus: ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacisſimas voluntati.* Hinc patet alias eſſe vires parvas á parva Gratia, alias maiores á maiorí, alias efficaces ab efficaci, alias efficacisſimas ab efficacisſima. Ad hanc pertinet qnod ait eodem libro. c. 17. *Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ voluntate, hoc eſt magnâ charitate fecerunt.* Omitto alios quibus pleni ſunt Auguſt. libri: unus plures ſupped itat liber de Corrept. & Grat. Inquo non ſolum docet maiorem & potentiorem eſſe gratiam hominis lapſi, quàm ſtantis (uti

ſæpiſſimi

ſæpiſsimé diximus) ſed etiam tradit, hanc eandem gratiam ſtantis hominis habere ſua incrementa, & acceſsiones: quod ſupra tetigimus loquendo de Gratia Martyrum, cujus Paradigma Auguſtinus proponit, quod ſumma ſit. Ecquis enim neget invictam illam Martyrum conſtantiam Dei beneficium & Gratiam fuiſſe, quâ voluntates eorum vehementius excitatæ mundum cum omnibus *amoribus, terroribus, erroribus* ſuis vicerunt? Imo quoties Actus Heroici ſummæ virtutis à juſtis exercentur, toties ab Efficacisſima Gratia excitantur; niſi quis dicere velit, cum eadem omnino invariata ac indifferente Gratia ſine ullo pulſu motuque vehementi voluntatem ipſam conando & agendo, ex ſe illam intentionem actuum operari, & quod a gratia non accepit, ipſam præſtare. Quod quid eſt aliud, quàm dicere gratiam accipere vires & intenſionem a voluntate?

Volo rem hanc exemplis confirmare. Si gratia ex ſe non eſt diverſa ſecundum gradus, nec alia eſt aliâ magis intenſa, ſed eadem omnino ac ejuſdem rationis, neceſſe eſt tollere privilegia ſummorum in Eccleſia Sanctorum, quæ à Deo iis conceſſa ſunt, puta, Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolornm, quibus nemo dubitet ſingularem gratiam datam eſſe: non dico gratis datam, ſed excitantem & ſanctificantem. Sin dicamus Beatisſimam Virginem non maiorem quovis alio juſte gratiam accepiſſe, ne periculum ſit indifferentiæ ejus voluntatis, in qua ſi libertas conſiſtit, nec admittit momenta & inclinationes in utranque partem, profecto non potuit Beatisſima Vigo majorem gratiæ vim, quàm

quivis

quiuis juſtus accipere, cum ſi eam acciperet, libertatem indifferentiæ eſſet amiſſura. Quod ſi Beatiſſima virgo multo maiorem aliis gratiam á Deo accepit, & cum ea potuit libere operari, ac mereri, argumentum eſt libertatem non eſſe æquatam ex bilancis lingula poteſtatem, ſed habere gradus & ſpatia, quæ cum decurrat non egrediatur terminos libertatis. Huc faciunt quæ de libertate Reſiſtentiæ, ac indifferentiæ ſupra quæſtione Pontificiæ Cenſuræ diſputavimus : & alias commodius & latius exponemus. Nunc alia deviribus cõcupiſcentiæ produco teſtimonia. Solet quippe Auguſtinus delectationes Carnis delectationibus ſpiritus opponere, & in ea pugna concupiſcentiã cum gratia cõmittere & fortiori victoriam aſſignare. Non ego hîc gratiæ cum cõcupiſcentia luctam, pugnantes que oppoſitas delectationes deſcribam quod alterius loci ſit, id quod proprium eſt tantum eſt, ſumo; nimirum varios eſſe & motus & gradus concupiſcentiæ : ejusque delectationes intendi & remitti creſcere & decreſcere, atque adeò minus & majus quiddam intra terminos libertatis recipere. Igitur Auguſtinus l. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 12. *Tria ſunt quibus peccatum impletur : ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione.* En propoſitio. Pergit. *Delectatio ante conſenſionem vel nulla eſt, vel tam tenuis eſt, ut prope nulla ſit.* Vides inchoatam & parvam delectationem. *Tendo. Poſtea cum ſuggeſtio reperitur. Major accenditur delectatio: quæ tamen adhuc multo Minor eſt, quàm illa, quæ aſſiduis factis in conſuetudinem vertitur.* Et iterum, *Quiſquis carnalem delectationem adverſus rectam voluntatem rebellare ſentit per conſuetudinem peecatorum, cujus indomitæ violentia*

trabatur

trahetur in captivitatem, recolat, &c. Ecce tres gradus delectationis prima *Tenuis* & prope *nulla*. Secunda *major magis que accensa*. Sed *minor* inveteratâ : Tertia maxima & tanta ut ob *violentiam* appelletur *Indomita*. Hos tres gradus opinor expresſit Serm. ſexto. de verb. Apoſt. c. 10. hac ratione. *Mens repugnat, & condelectatur legi Dei. Jam vero ſi mens non conſentit peccato titillanti, ſuggerenti, blandienti ſi mens non conſentit*, &c. nec ópponas illud *blandienti* minus in tertium illum gradum delectationis Indomitæ ab violentiam quadrare : nam vis pulchritudinis delectantis , non atletico more nos impellit & torquet , & facta impreſſione de gradu dejicit & in ſolum arietat, ſed illecebris & lenociniis quibuſdam nos pertentat , & allicit, & in animos altius penetrans ineſcat, & capit. Hunc expugnandi modum ſibi vendicat concupiſcentia,cujus major eſt violentia blandientis , quam vis fortitudinis oppugnantis. Hinc. Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. c. 8. dixit. *Delectabilem perpetuitatem & inſuperabilem fortitudinem*. Hujuſmodi intentionem per gradus ſuos delectantis cupiditatis exprimit Auguſtinus plurimis alijs in locis. l. 2. de Geneſi,Contr. Manich. Pſal. 43. & 48. & 84. & 64. & 102. et 146. et 148. et l. 2. cont. Julian. c. 9. et l. 5. c. 3. et Tract. 49. in Joan. et Ser. 13. de verb. Apoſt. cap. 9. et l. de ſpir. et l. itt. c.28.et cap. 35. et in Enchir. c. 81. et l. 2. de peccat. mer. et rem. c. 17. et 19. et in comment. Epiſt. ad Galat. & l. 1. oper. imperf. contra Iulian. fol. 162. & alibi. Duos locos inſignes produco. Primum. Serm. 44. de verb. Dom. c. 6. numerans gradus per quos venitur ad conſuetudinem pravam. *Prima titillatio delectationis in*

 corde,

corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo: quarum illa prima *Titillatio* potest continere *suggestionem* in superiori sententia positam, ut duos motus complectatur ante consensum. Ecquis autem dubitet liberam esse decurentem per hosce omnes gradus voluntatem: cum & in primo consensu & alijs, ante quam consuescat, haud dubié peccatum committat, inquo libertas inest, & postquam consuevit, in ipsa consuetudine libertatem peccando retineat. Huic latitudini concupiscentiæ ad malum necesse est, ut altera Gratiæ in operando bonum respondeat quemadmodum supra ostendimus ijsdēmet gradibus recedēs á malo, & accedens ad bonū ut fiat transitus malæ voluntatis ad sanctam: & hinc existit summa libertatis amplitudo, quòd et ad malum quatuor gradus sint, et totidem ad bonum: ac in medio transitu á bono ad malum vel à malo ad bonum datur quidam quasi status similis indifferentiæ cùm in ipso confinio mali & boni voluntas quæ transitúm facit, exactè versatur. Videlicet Peccator qui est obstinatus inveteratá consuetudine, cum venit ad maximam in virtute (quæ hic haberi potest) perfectionem oppositam obstinationi, paulatim discedit á consuetudine, desistens a peccando, & minus peccans: deinde á minoribus peccatis venit ad statum quendam minus malum, & ab illo eò devenit, ut cum non alliciat multum delectatio peccandi, nec multum adhuc moveat dilectatio Gratiæ sit veluti in quodam confinio utriusq;, ac velutî in æquilibrio liberæ in utranvis partem potestatis: à quo intendente se paulatim delectatione justitiæ per diversos grádus boni ad culmen perfectionis ascendit: in quo

consistens

consistens sibi ipsi oppositus cernit decursum a se ingens spatium libertatis : nullâ omnino inductâ necessitate, nec retentâ indifferentiâ ; cum semper, nisi in puncto transitûs inclinata in alteram partem fuerit, secundum varios quos descripsimus gradus libertatis. Hanc modum ratiocinandi docuit me Augustinus, lib. 22. de Civit. Dei. c. 30. *A delectatione*, inquit, *peccandi, usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberabitur*. Loquitur de voluntate Beatorum in Patria, quæ peccare nonpotest, beatâ necessitate : & â potestate peccandi libera, ad quem terminum non peccandi in Patria, in quo est necessitas, ducit cogitationem per spatium illud medium liberum interjectum inter duos illos terminos principij peccandi, & termini peccandi ex beata necessitate : ita ut via usque ad eum terminum libere tota per suos passus graduſq; liberos conficiatur.

Hâc doctrina acceptâ & constitutâ constat, quid agat in nobis illud Adjutorium *Sine quo non*. Nam ab eo sunt illæ excitationes inchoatæ & tenues, quæ non sunt satis ad actus intensos & validos, qui uberiore Gratia indigent, idest ipso Adjutorio *Quo* omnino Efficaci, & vehementi. Itaque illud concurrit ad actus nostræ voluntatis inefficaces, quos *velleitates* appellamus : ac intra eos ejus virtus tanquam quosdam carceres continetur. Hic vero modus excitandi ex dicendis proximo art. clarius eluceſcet.

CAP. VIII.

Utrum hujuſmodi Adjutorium Sine quo non *ſit illud quod in ſcholis* Sufficiens *appellatur?*

COmpertum in doctrina Auguſtini eſt Duplex Auxilium Gratiæ poſt Adami ruinam dari: tum Efficax de quo nemo dubitat, tum inefficax de quo multi non hæretici modo, ſed etiam Catholici videntur dubitaſſe, imo & negaſſe. Itaque cum communi Scholaſticorum ſententia affirmo dari hujuſmodi Auxilia: quæ ſane duæ clariſſimæ ſcholæ inter ſe de Gratiæ Efficaci opinando contrariæ admittunt. De Jeſuitica liquet, in qua *Sufficiens* maxime celebratur, nec de ea opus eſt dicere. Quod ad Thomiſticam attinet illud item ejus Authores Auxilium recipiunt Duce D. Thoma 1. 2. q. 10 b. a. 2. & 3. contr. Gent. c. 169. Capr. in 1. d. 46. a. 2. concl. 4. Ledeſma. a. 16. c. un. Cabrera. in 3. p. q. 18. a. 4. d. b. dub. 1. Zumel. to. 3. diſp in 1. part. Alvarez d. 17. n. 2. in Epit. n. 4. Gonzalez 1. p. q. 23. d. 77. n. 17. Joan. a ſ. Thoma. 1. p. pag. 693. referens doctiſſimum P. Lemos acerrimum Efficacis Gratiæ Romæ Defenſorem aliud genus Gratiæ aſſeruiſſe, Calvinique in eo negando errorem damnaſſe. Et quidem in hoc unanimiter omnes conſentiunt.

Verum

Verum An iſtud Auxilium Inefficax ſit illud quod vulgo *Sufficiens* dicitur, controverſioſa ſané res eſt: quod pendeat ex vera notione auxilij Sufficientis, de qua uariant Authores. Ac (omiſſo Arminio & Remonſtrantibus, & quibuſdam Puccianis, & Socinianis, qui Auxiliū ſufficiens id tantùm virtutis habere volunt, ut vix ab Efficaci, imo non niſi ſolo effectu, diſtinguant, uti in Apologia Remonſtrantes ſæpe docent) inter Authores Catholicos magna in hac quæſtione diſſenſio eſt, adeò ut ne ipſi quidem Clariſſimi Jeſuitæ Theologi inter ſe omnino conveniant. Nam Petavius tom. 1. Dogmat. Theolog. l. 10. c. 16. & 19. & Bagocius ſive Thomas Auguſt. l. 1. Defenſ. c. 21. a. 2. nolunt propriè diſtingui ab Efficaci, ſed ab Efficiente: atque adeo novas utriuſque notiones inducunt. Molina in Concord. q. 14. a. 13. d. 40. & ad quæſt. 23. art. 4. d. 1. memb. b. & Leſſius. diſp. de Grat. c. 10. n. 9. *diſcriminant penes eventum*: neque aliud *iis nominibus ſignificari contendunt, niſi quod una operetur, altera non.* Uti eos refert ac exponit Antoninus Moraines. diſp. 27. §. 4. n. 30. At verò Annatus l. 4. c. 7. de Grat. Sufficiente. & variis locis l. 7. & Moraines. d. 24, 25, & 26. & præcipué 17. tradunt Gratiam Sufficientem eſſe, quæ dat poſſe completum, & proximum in actu primo, ita ut ſit in poteſtate voluntatis, nec niſi ex decreto prædeſtinantis Dei & congruitate conditionaté prævisa differat ab efficaci, quæ communis Patrum Jeſuitarum ſententia eſt, utí probat Moraines d. 27. Sect. 5. Duo vero Jeſuiticæ Theologiæ Principes Vaſquez & Suarez aliter explicant iſtius modi Auxilium, unde ij non citantur ibi á Moraines.

Quare

Quare conſtituo communem ſententiam & idoneam uti Suarius exponit, in medium afferre, & ſecundum eam hujus Auxilii naturam expendere.

Igitur Suarez. l. 4. de Auxil. Sufficiente & efficaci c. 2. n. 3. Triplex genus Auxilij *Sufficientis* adducit. Remotiſſimum, Remotum, Proximum, de quibus latiſſime agit per multa capita. Omiſſo Remotisſimo de quò Suarez c. 11. & 19. *Remotum* Proximum que accipio, & nequis me prævaricari putet, ipſiusmet Suarij verba produco. Js ergo cap. 2. n. 3. *Diſtinctionem* inquit *præmitto Auxilii dupliciter Sufficientis, ſcilicet proximè & remotè: proximè appello, quando homo per auxilium in ſe receptum poteſt immediatè aliquam operationem efficere, ſine interventu alterius prioris operationis, quæ impetret majus auxilium. Remotè appello, quando homo nondum recepit in ſe totum auxilium neceſſarium ad certum opus, habet tamen à Deo illud paratum ſi ad illud ſe diſponat, vel illud impetret, quam diſtinctionem ſumo ex Concilio Tridentino Seſſione 6. c. 11. dicente Impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, nam illud verbum: Facere quod poſſis: indicat eum cui hoc jubetur, habere auxilium proximè ſufficiens, tum quia ab illo immediatè poſtulatur, ut faciat: tum quia in hoc ſolùm diſtinguitur illa poteſtas ab ea quam Concilium indicat in ſubjunctis verbis: Et petere quod non poſſis: nam in his inſinuat auxilium remotè ſufficiens: nam, qui nondum poteſt, nondum habet auxilium proximè ſufficiens: u. g. ad Contritionem habendam: ſi tamen oret recipiet illud, & juvabitur, ut poſſit conteri, & ideo dicitur habere auxilium remotè ſufficiens ad contritionem, prius quam oret, quia habet illud paratum ſi*

oret

oret. Unde ad habendum remotè auxilium ſufficiens ad unum actum u. g. *contritionis, neceſſe eſt ut habeat auxilium proximè ſufficiens ad alium actum* u.g. *orationis vel alterius diſpoſitionis ad majus auxilium. Atque ita auxilium remotum reſpectu unius actus revocatur ad proximum reſpectu alterius.* Totum Suarij locū afferre volui, quia eo Auguſtini ſententia, quā ego multo ante quam Suarium viderem invéneram & acceperam, mecum que ſeriò expenderam, continetur. Malo tamen Suarij verbi referre, ut tanti Authoris nomine tutior, & celebratior ſit: nec enim apud me niſi veritatis ſtudium valet, ac modò ei ſplendor accedat, non dubitem luminibus ſi quæ ſunt, meis detrahere. Puto autem ex clariſſima Suarij luce non parum ei veriſſimæ Auguſtini ſententiæ acceſſurum, uti patebit. Neque Suarius illud ſemel, aut obiter dixit. Sed ſæpe ac vehementer inculcat, quemadmodum apparet ex reliquo capite & ex 4. & 6. & 7. & pene cæteris uſque ad finem libri: quorum aliquot deinceps locos opportunè adducemus. Unum omittere non poſſumus perſpicuum et prioris explicationem: is eſt c. 4. n. 6. *Auxilium vel eſt tantum oblatum, ut illud homo poſſit habere ſi velit, & ſic auxilium illud quod eſt actu receptum non dum eſt proximè ſufficiens ad illum actum ad quem illud auxilium præveniens dicitur eſſe neceſſarium, ſed tantum remotè, quia ſi tale eſt auxilium præveniens, & à ſolo Deo fieri debet, dum actu non datur, non poteſt conſtitui in poteſtate hominis, niſi mediante alio actu, quo homo ſe diſponit ad tale auxilium obtinendum, ut c. 2. ex Concil. Trident. declaravi: ergo auxilium illud quod ſupponitur actu datum, eſt proximè ſufficiens ad illam priorem diſpoſitionem, & ita ad illam includit omnia*

auxilia

auxilia præveniéntia neceſſaria actu data, & reſpectu ulterioris actus eſt tantùm remotè ſufficiens: ergo in univerſum Auxilium proximè ſufficiens includit omnia auxilia prævenientia in ipſo homine jam recepta.

Authore itaque Suario juxta Tridentin um et uguſtinum, ex quo illa verba Tridentini deſumpta, duplex eſt Auxilium ſufficiens: Unum Remotū: alterum *Proximum*. Remotum quod dat poſſe ad minores quoſdam actus: quo fiunt parvæ illæ & infirmæ, de quibus ſupra diximus, voluntates: non autem illæ magnæ & robuſtæ: ad quas gradus & viæ ſunt illæ priores cum illo auxilio remoto reipſa exhibito. Proximum verò eſt, quod ex omni parte completum eſt, & omnia neceſſaria comprehendit ad magnas & robuſtas voluntates, per quod homo fit potens, & proximé expeditus cum integra poteſtate ad illos perfectos actus exerendos: ita ut nihil jam deſit ex parte Dei, totum que ſit in homine receptum, quod omnino docet Suarez his quos ci-avi locis, & hucuſque eſt ipſiſſima Auguſtini doctrina. Juxta illam reſpondere incipio quæſtioni.

Concluſio ſit: Auxilium Sufficiens Auguſtinianum eſt illud *Remotum*, quod Suarius juxta Concilium Tridentinum expoſuit, & formavit: in ea latitudine donec perveniat, ad illud complementum quo conſtituitur integrum Auxilium *Proximum* reddens affectam potentiam proxime, & immediate expeditam ad operandum, & tantum non operantem, nam quo puncto ita completum fuerit eo fiet Efficax, & *Inſuperabiliter* & *Indeclinabiliter* qùæ duo ſunt Auguſt. verba non *neceſſariò* tamen operationem inducet. Atque adeo deſinet eſſe ſuffici-

ſufficiens, & erit Efficax, ideſt ipſum Adjutorium *Quo*. Hac concluſione clariſſimé totam de hac re Auguſtini doctrinam acceptâ illa & adhibitâ diviſione Suarij comprehendi. Ea la iùs expoſita quæſtioni ſatisfaciet.

Accipiamus proximis capitibus probata, & conceſſa ex Auguſtino : ac imprimis illam rationem actuum voluntatis inchoatæ, mediocris, creſcentis, ac magnæ , & maximæ, & graduum Gratiæ accommodatè ad eos voluntatem pulſantis & moventis , momentaque diverſa librantis in eo ſe libertatis ſpatio Arbitrij, ijs acceptis inveniemus diſtinctionem Sufficientis auxilij Auguſtiniani in eo ſpatio quo auxilium dicitur *Remotum* á Suario ex Tridentino. Quæcunque igitur Gratia leviter pulſat cietque voluntatem intra illos terminos actuũ inefficacium , quos *velleitates*, dicimus, ea eſt Gratia Sufficiens Auguſtiniana , in quam deflexit illud Adjutorium *Sine quo non* ſtatus integri, Adami & Angelorum, quod perſe in eo & proxime tunc ſufficiens erat ad operandum , dabatque integram poteſtatem & expeditam propter ſanas & integras liberi arbitrij vires : at vero in noſtro infirmo & miſero, tantum remoté juvat, nec eſt integrè immediatè que ſufficiens , nec expedit omnes conatus vires que potentiæ infirmæ, & vitiatæ: ſed in ea motus quoſdam excitat , qui inchoatos & imperfectos actus inefficaces ac deficientes efficiunt cum voluntate. Unde ego ſemper malui tum in *Cortina* tum ſuperiori libro hujuſmodi Auxilium *Inefficax* quàm *Sufficiens* appellare : nam præciſé actus tantùm inefficaces per quos lex non impletur , nec præcepta omnino ſervantur operatur. Et ſane recté ex Auguſtino, & ad Tridentinum

nam eo non est quis proxime & expeditè potens, cum adhuc non possit, & magis sit adjuvandus ut possit. Deus enim *per hanc Gratiam jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*: ut ait Augustinus lib. de nat. & Grat. c. 43. & cum eo Tridentinum; cui concinit alia ejusdem libri sententia c. 69. *Hinc admonemur & infacilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et enim cum illo Auxilio aliquid possumus & agimus, id. est parvum quiddam & imperfectum: atque ad hoc est illud Auxilium verè ac propriè sufficiens, imo & efficax suo modo, quia cum illo & possumus illud & agimus; respectu tamen actus magni & perfecti, atque omnino efficacis ad implendum mandatum, non est proximè ac verè sufficiens, juxta Augustinum & Tridentinum: nam adhuc aliquid quod magnum est non possumus. Ecce enim aiunt: *Facere quod possis & petere quod non possis.* Ex quo patet *posse nos* eo Auxilio aliquid, ideſt exile, & facile. Aliquid *non posse*, ideſt illud magnum & difficile, ad quod sumus ulterius adjuvandi á Deo ut *Possimus. Adjuvat ut possis.* ergo quatenus cum eo *Possumus Sufficiens* est? quatenus verò *non possumus*: *Non est sufficiens.* Expositit clariús Augustinus mentem suam & Tridentini lib. de Grat. & lib arb. ceu illam sententiam commentari vellet; ita enim c. 15. *Oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* En explicat quod dixerat *Petere quod non possis.* Deinde c. 16. declarat quid sit *Adjuvat ut possis. Ab illo* Deo *petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus* Quando autem possimus, docuit c. 17. *Qui vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet* volunta-

voluntatem bonam. Hic est effectus Auxilij Remoti nempe *parvam ait & invalidam.* Poterit autem cum *magnam habuerit & robustam.* Optime itaque Suarez. c. 2. n. 3. *Remotè appello, quando homo non dum recepit in se totum Auxilium necessarium ad certum opus, habet tamen illud paratum si ad illud se disponat, vel illud impetret,* & mox. *Qui nondum potest, nondum habet auxilium proximè sufficiens: si tamen oret recipiet illud & iuvabitur:* est omnino quod Augustinus: quod autem ego ex Augustino deduxeram, id colligit etiam Suarez. *Vnde ad habendum remotè Auxilium sufficiens ad unum actum* u. g. *contritionis, necesse est ut habeat Auxilium proximè sufficiens ad alium actum* u. g. *orationis, vel alterius dispositionis ad majus Auxilium. Atque ita Auxilium remotum respectu alterius.* Hanc Auxilij sufficientis rationem proposuimus in quæstione Constit. Pontif. a. 3. explicantes quomodo *Justis volentibus & conantibus semper ad sit Gratia qua mandata possibilia fiant.* Nimirum si parvâ illâ datâ Gratia rectè utentes impetrent illam magnam & robustam; qua mandata serventur.

Quod autem hæc sit mens Augustini docentis Auxilium, quod ex se omnino & proximè & integre erat in statu innocenti *Sufficiens*, nunc in statu ruinæ minus Sufficiens sit, atque adeo remotè tantùm, & uti diximus imperfectè sufficiens, tradit expressè magnus hic Author Suarez eod. l. 4. c. 18. n. 17. & 18. quem locum afferre volo ne quis recentium Theologorum Societatis me audeat impugnare. Igitur *Supponendum,* inquit, *est ex sententia Augustini discrimen inter hominem in statu naturæ integræ & lapsæ; quòd in natura integra idem auxilium*

proximè sufficiens ad servanda singula præcepta & vitanda omnia peccaca erat etiam sufficiens ad servanda omnia præcepta & vitanda omnia peccata quovis tempore: subinde fieri poterat ut cum solo Adiutorio quo homo in illo statu posset perseverare si vellet, etiam vellet & actu perseveraret. Hoc est enim quod ibi ait Augustinus. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum: dederat & Adiutorium Sine quo in ea non posset perseverare si vellet, ut autem vellet in eius reliquit arbitrio. Et addit inferius. Quia noluit permanere profecto eius culpa est cuius meritum fuisset si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti qui cadentibus aliis per liberum arbitrium steterunt et ipsi. Et paucis interjectis. *Intelligit ergo Angelos per illud idem Auxilium, quo receperunt perseverare si vellent, actu perseverasse, et voluisse perseverare per liberam voluntatem eodem utrique auxilio, et non maiori adiutam: et idem dicit facere Adamum potuisse si vellet.* Ita Suarez de Adjutorio *Sine quo non* sive auxilio Sufficiente Adæ *et Angelorum* ad nostram sententiam congruenter. Nunc transit ad statum ruinæ idem Suarez.

At verò inquit *in natura lapsa sensisse videtur Augustinus: Auxilium quod tantum dat homini posse perseverare si vellet, non esse tale, ut cum illo tantùm de facto perseveret, et velit: sed indigere hominem in hoc statu speciali aliqua protectione Dei, ut actu velit et perseveret: et quamvis hæc ipsa protectio sit in potestate hominis si velit facere quod in se est per priora auxilia, et ideo remotè habeat Auxilium Sufficiens ad perseverandum, nihilominus proximè non habet illud nisi quando recipit auxiliũ, quo non tantũ possit si velit, sed etiã velit et perseveret. Et hanc infirmitatẽ dicit esse pœnam peccati,*

peccati, quia naſcitur ex difficultate bene operandi ortâ ex lapſu naturæ, ratione cujus non poteſt in hoc ſtatu ordinariis & ſufficientibus Gratiæ auxiliis perſeveranter diu facere, quod in ſe eſt, niſi aliquod aliud Adjutorium accipiat: nec etiam poteſt per ſolum Auxilium moraliter Sufficiens ad ſingula peccata vitanda, diu perſeverare ſine peccato, niſi ſpecialius à Deo protegatur ac dirigatur. Et hoc eſt in quo Auguſtinus diſcrimen conſtituit adjungens: Nunc autem quibus deeſt tale Auxilium jam pœna peccati eſt: quibus autem datur ſecundum Gratiam datur, non ſecundum debitum, tantoque amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolum adſit, Sine quo permanere non poſſumus etiam ſi velimus, verum tantum ac tale ſit ut velimus. Et poſtea n. 19. idem aſſeverantius affirmat: & addit: *Non dicit tamen Auguſtinus hujuſmodi homines in præſenti ſtatu nullum auxilium Sufficiens recipere ad perſeverandum: nam recipiunt ſaltem remote Sufficiens, quod ſuo modo eſt verè ſufficiens; in eis tamen propter conditionem hujus ſtatus tale eſt, ut non ſit proxime, ſed remotè, & ut nunquam effectum conſequatur.* Ita de mente Auguſtini iudicat Suarez, & veré quidem judicat: nec eam doctrinam improbat: imo ſuam facit. Addit enim *Hæc reſponſio ſufficere poſſet præſenti quæſtioni quia non affirmamus omnes recipere Auxilium Sufficiens proximum aut perfectum, ſed aliquod qualecunque illud ſit, nam in illo magna eſt varietas, ut capite ſequenti dicturi ſumus.* Et nos proximè examinabimus eandem quæſtionem Utrum detur omnibu *Auxiliũ Sufficiens* & quatenus? & An Suarius Auguſtinos de eo conſentiat, & an iſta quæ nunc tradit de hujuſmodi ſufficientia Auxiliorum cum

ijs

ijs quæ poſtea docuit de Efficacia Gratiæ conveniant, ſuo loco ventilabimus. Nunc id vendicamus quod ſatis eſt ad inſtitutum, nempe Auguſtnum authorem eſſe: Adjutorium illud *Sine quo non* inveniri in ſtatu naturæ lapſæ: ſed mutatum deflexumque : atque adeo multo minùs, quàm tunc ſufficiens : nam tunc ſatis eſſet omnino ex integro ad rectè operandum & perſeverandum nullo alio addito, ſed tantùm concurſu voluntatis ſanæ, & ſanctæ, & integræ. At nunc illud non omnino & ex integro ſufficere propter infirmitatem, & vitia & corruptionem naturæ, niſi per novam virtutem augeatur & creſcat, ſine qua eſt tantum remotè & inchoatè ſufficiens, non proximè & perfectè ſufficiens. Quæ quidem eſt ipſiſſima Auguſtini, uti nos ex eo diſcendo accepimus, doctrina-

Hinc jam apparet, in quo hujuſmodi auxilium Auguſtinianum differat ab Auxilio Scholaſticorũ. Nam (ſi iſti cum Suario ſentiunt) convenit cum eo, quod appellant *Remotũ* & diſtinguitur ab eo quod dicunt *Proximũ* quod non agnovit Auguſtinus : nam iſtud *Efficax* erit apud eundem, uti nos ſuo loco probabimus: & jam incipit apparere. Sin aliter judicant, & illud tantum Auxilium *Sufficiens* dicunt, quod Suarius completum & integrum & proximum vocat, uti video recẽtioris nominis Theologos dicere, Auguſtinum certé ejus ſententiæ authorem non habent : cum illud ipſum Auxilium Efficax ſit, atque adeo inducens opus, quemadmodum poſteà laté monſtrabimus : & modo breviter oſtendo.

Primum, quia Auxilium illud completum & proximum

mum dat expeditam poteſtatem voluntati, & movet efficacitèr illam per quiddam majus efficiens voluntatem validam & robuſtam, & ideo nunquam caret effectu: igitur illud Efficax eſt.

Secundum: quia hujuſmodi Auxilium jam datur homini facienti quod eſt in ſe per auxilium illud minus & inchoatum: ergo ſi datur tanquam ex merito, debet eſſe cum efficacia inducente operationem.

Tertium: quia ex Concilio Tridentino hujuſmodi Auxilium datur ad complendum quod alteri deerat, & affert virtutem requiſitam ad implendas & confirmandas vires voluntatis, imo & eas complet & confirmat, quando exhibetur: igitur illud juxta doctrinam Concilij *Efficax* eſt.

Quartum: quia Concilium ſupponit per id quod petitur obtineri effectum: dum ait *Jubet facere quod poſſis, et petere quod non poſſis, et adiuvat ut poſſis.* Sed id quod petitur, eſt illud Auxilium Proximum, ergo illud obtentum Efficax eſt.

Quintum: quia ſi illud tantum Sufficiens eſt, & relinquit voluntatem in eo ſtatu in quo erat cum alio Auxilio, indigeret alio Auxilio ſufficiente: quod cum eodem modo *Sufficiens* eſſet, aliud; atque iſtud aliud, aliud poſtularet, atque adeo daretur proceſſus in infinitum: ergo per illud Auxilium *Proximum* immediatè & integrè afficiens voluntatem, & reddens eam promptam & expeditam inducitur efficaciter operatio.

Sextum: quia juxta Tridentinum, Primum illud Auxilium, quo quis facit quod poteſt, ſuâ illâ tenuitate aliquid operatur in voluntate ſibi proportionatum: igitur

gitur ſecundum, quod per hoc primum obtinetur operátur motum in voluntate ſibi etiam proportionatum, non enim eſt deterioris conditionis quam aliud : Hoc dato quod negari non poteſt ſequitur uoluntatem ſecundum illius virtutem moveri & operari : ſed hæc operatio eſt magna et efficax proportionata Auxilio, igitur iſtud Efficax eſt.

Quod autem dicunt quidam: Auxilium ſufficiens illud eſſe quo voluntas ita præparatur, ut ſit in poteſtate proxima et expedita ad operandum : Et tamen omnino indifferens maneat poſito illo Auxilio cujus domina ſit voluntas, quoque pro ſuo libito integré utatur non utaturve : id ſane ab Auguſtini ſenſu, & rectá ratione prorſus abhorret. Nam cum illud Auxilium ſit illuminatio intellectus, & inflammatio voluntatis in his potentiis receptæ, eaſque intimé afficientes, quod Fieri nequit ſine magno earum motu, conſequens eſt affici, & mutari eas, & priorem indifferentiam amittere, & quo moventur inclinari ſecundum pulſus tractuſque Gratiæ, liberé quidem, non amiſſa potentia reſiſtendi, ſed ablatâ indifferentiæ poteſtate : juxta ea quæ diximus in Quæſt. de Cenſura Pontif. a. 4. & poſtea latius & accuratius exponemus. Pudeat ſane eos audire Tridentinum docens inchoatos illos motus Gratiæ Remoté Sufficientis operari in nobis parvas illas voluntates, de quibus hactenus diximus, illos vero tantò majores impulſus Gratiæ proxime Sufficientis, propter quos alij dantur, & ad quos diſponunt, cum tantò vehementius afficiant, voluntatem indifferentem ambiguam que relinquere, ceu nihil moveant, ut illis pulſantib, & concutientibus

cutientibus illa immota & inconcuſſa remaneat.

Tanquam dura ſilex, tanquam Marpeſia cautes.

Non negamus poſſe voluntatem illas inſpirationes etiam vehementes abjicere pro ratione ſuæ libertatis, nam per eas non cogitur, nec neceſſitatur: quod à Concilio Tridentino & Auguſtino accipimus: ſed negamus ad id eſſe omnino indifferentem, & cum æquali & integra citra omnem inclinationem poteſtate: imo id adynaton recepto Auxilio illo Proximo judicamus, cujus finis eſt movere voluntatē, non moveri à voluntate; ſed hæc ſuis locis tractanda ſunt.

Unum hic dubium eſſe poteſt. An iſtud genus auxilij *Sufficientis* ſatis ſit ut cui detur, is cavere poſſit, & vitare peccatum? nam id eſt omnino in doctrina Auguſtiniana neceſſarium: alioqui non peccabit, cum quod vitari, caverique non poteſt, in eo peccari non poſſit. Reſpondetur ex doctrina Auguſtini, & Tridentini ſæpius tradita; ſatis eſſe illud Auxilium Remotum ad vitanda peccata, non immediatè, ſed mediatè. Nam conſtat ex utriuſque ſententia per id Auxilium fieri voluntates inchoatas, quæ ſunt initia quædam boni, quæ cum ſint facilia per illud obtinentur, & ijs habitis majus illud Auxilium impetrari, quo præcepta ſervantur; unde patet per illud prius auxilium, etſi immediatè non poſſint impleri mandata, poſſe tamen mediâ oratione, & actibus facilibus obtineri Gratiam magnam & idoneam ad illa implenda: atque adeo vitanda peccata. Quare qui per illud Auxilium non

operetur parvas illas voluntates meritoriè, ac nolit ijs uti ad impetrandas majores, ille quidem suâ culpâ incidet in peccatum, & præcepta minimè implebit. Quem modum probat Suarez, l. 4. c. 18. n. 32. & 33. & authoritate *Bellarmini*, l. 2. de Grat. & lib. arb. c. 7. confirmat: cohæret vero cumijs qua supra quæstione de Cens. Pontif. a. 2. tradidimus.

Hinc autem optimè intelligitur veritas illius Effati Augustiniani à Concilio Tridentino usurpati *Deus neminem deserit, nisi prius ab ipso deseratur.* Etenim si homo juvetur prius Auxilio remoto idoneo & sufficiente ad parvas illas & imperfectas voluntates: quas cum etiquivis ita excitatus potest habere, imo & habet & per eas ad magnas perfectas que disponitur: & in ijs sistat nec velit cooperari & gradatim ire ulterius ad majora deserit Deum vocantem, & meretur deseri ab ipso Deo, qui justè subtrahet majus illud Auxilium paratum si ille bene operaretur parvos illos & exiguos motus voluntatis. Atq; adeo de Auxilio præveniente verum erit illud celeberimum Effatum. Ita Suarez receptâ Augustini doctrinâ de hujusmodi adjutorio *Sine quo non*. Sive Auxilio Sufficiente Augustinjano, l. 4. c. 18. n. 32. & 33.

Duo animadvertere ad calcem hujusce quæstionis oportet. Unum Scholasticorum quosdam velle, ut Auxilium Sufficiens ineo distinguatur ab efficaci, quod nunqvam habeat effectum, atque adeo nunquam Efficax sit: quod quidem est alienum à doctrina Augustini & liberè excogitatum. Nam Augustinus Auxilium Sufficiens *Efficax* dicit, cum *proximè sufficiens* est, imo non putat sufficiens, quod non habet effectum: & quidem

meo

meo judicio rectè: nam si sufficit, & datur ut sufficiat, cur non efficiet id propter quod datur? Quod si non efficit profecto non sufficit. Nec solus Augustinus, sed etiam alij Patres Auxilium quod Scholastici *Efficax* vocant *Sufficiens* appellant: uti observat Vasquez, & probat ex Prospero in 1. 2. d. 185. c. 11. n. 55. Itaque de illo Auxilio intelligit illud *Sufficit tibi Gratia mea.* Ser. 3. de verb. Apost. *Adjuvandus es ut plene velis, & impleas quod velis.* Et cap. 16. lib. de Grat. & lib. arb. perspicuè de Gratia Efficaci: *Ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Et lib. de spir. & Liter. c. 34. *Fieret justitia si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tanta rei.* Et tandem c. 15. de Grat. & lib. arb. *Oret ut habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata.* Nam etsi ex parte voluntatis ponat sufficientiam, constat illam sufficientiam ex auxilio provenire, unde eòdem recidet voluntatem esse sufficientem, atque Auxilio Sufficienti instructam proximè ac expeditè, atque adeo operaturam: nam ad id præparata est & proxime pctens effecta per auxilium. Et quidem mirabile, imo & incredibile est Voluntatem proximè expeditam & promptam ad operandum cum eo Auxilio in eum finem dato, nunquam operaturam cum illo: illud que semper Auxilium effectu propter quē datur omnino caituru. Contra res erat apùd Augustinum in statu integro: ubi cùm non esset nisi Auxilium *Sine quo non* vires habens *Sufficientis* operabatur tamen cum eo voluntas, nullo ulteriùs adjumento ad efficaciam desiderato. Adeò ut cùm eodem omnino auxilio *Sine quo non*, levi ac tenui, & ageret unus, &

non ageret alter: quod argumentum est Sufficientis tantùm & inefficacis ex se Auxilij. Unde quemadmodum tunc cum sufficienti illo Auxilio & dabatur operatio, & non dabatur, quòd erat præcisè Sufficiens; ita cum Auxilio Scholastico Sufficiente debet interdum dari operatio, interdum non dari; ut non sit diversa ratio illa sufficientiæ ab hac nostra Scholastica sufficientia. Itaq; semel dato, auxilium Sufficiens esse, sequi ex eo debet interdum effectus, quemadmodum ex illo adjutorio sequebatur. Quòd autem in eo statu cum illo Auxilio invariato & esset, & non esset interdum operatio, ex compertum sit in Augustino; teste Suario probare volo, cujus hac in re magna est authoritas, quòd ejus schola, quæ maximè scholastici auxilij propugnatrix est, Princeps habetur. Igitur is lib. 4. c. 18. n. 17. *Idem Auxilium in natura integra erat proximè sufficiens ad servanda singula præcepta, & vitanda omnia peccata, quovis tempore, subinde fieri poterat, ut cum solo illo adiutorio, quo homo in illo statu posset perseverare si vellet, etiam vellet & actu perseveraret. Hoc est enim quod ait ibi Augustinus. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum: Dederat & adiutorium Sine quo in eo non posset perseverare si vellet: Ut autem vellet in eius reliquit arbitrio. Et addit inferius. Quia noluit permanere, profecto ejus culpa est: cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt & ipsi. Hæc autem comparatio inter Angelos non est ita accipienda ut putemus, Sicut Angeli mali ceciderunt per liberum arbitrium sine adiutorio Dei, ita bonos permansisse per liberum arbi-*

arbitrium sine Adiutorio Gratiæ; hic enim sensus valde est absurdus, & contra eundem Augustinum aliis in locis. Intelligit ergo, per illud idem Auxilium quo receperunt perseverare si vellent actu perseveraße, & voluisse perseverare per liberam voluntatem eodem utique auxilio, & non maiori adiutam: & idem dicit facere Adamum potuisse si vellet. Expressit omnia Suarius, & mentem Augustini expresit; quem ego idcirco citate nolui ut in Suario citatum lector videret. Hoc autem argumento eatenùs utor, ut ostendam hác in re par fore utrunq; auxilium Sufficiens scholasticum & Augustinianum Integræ naturæ: quod sicut hoc dabat interdum operari interdum non dabat invariatum omnino, ac aliquando erat Efficax: ita illud non semper cáreat effectu, sed aliquando præstet effectum intra rationem Sufficientis. Non autem hinc sequitur, Auxilium sufficiens naturæ lapsæ eodem modo se habiturum: nam Remotum non est proximè, nec integrè sufficiens: aliud verò proximum, eo modo, quo nos juxtà Augustinum exposuimus, auctum & completum nunquam caret effectu, & omnino Efficax est; uti suprà diximus, & infrà latiùs dicemus.

Oppones tamen. Auxilium Sufficiens, quodcunq; sit, dare posse, non agere: nam inter hæc duo discrimen est: Unde si dat posse, non dat agere: atque adeo manet intra terminos potestatis, nec prodit extra ad actionem. Respondeo *Posse* interdum involuere ipsum agere, imo & *Agere* ipsum per *Posse* explicari, & idem utrunq; valere. Patet ex phrasi Augustini & Tridentini supra. *Monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat ut possis*, ideſt *ut facias*, quemadmodum

ex

ex noſtra & Suarij ratiocinatione conſtat. Et quidem ita loqui ſolet Auguſtinus, ut per *ſufficit* intelligat virtutem Efficacis Auxilij; uti proximè vidimus, & per *Poſſe* intelligat *Operari*. Sic. lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. *Per hanc etiam*, ideſt Gratiam Efficacem, *fit ut ipſa bona voluntas augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfectè quæ voluerit.* Imo interdum voluntatem, & poteſtatem ita interſe committit, ut non modò poteſtatem cauſam voluntatis, ſed etiam voluntatem cauſam poteſtatis faciat: ceu operatio efficax voluntatis, illam poteſtatem induceret, quæ ab effectu non eſſet disjuncta, imo ne diſtincta quidem eſſet. Hoc ſenſu dixit lib. de Corrept. & Grat. c. 12. *Tantum quippe ſpiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint.* En prius eſt velle quàm *Poſſe*. Ut *Poſſe* ſit effectus efficacis voluntatis. Et lib. de Grat. & lib. arb. c. 13. *Sic quippe adiuvatur, ut faciat quod iubetur: tunc enim utile eſt Velle cùm poſſumus & tunc utile eſt poſſe, cùm volumus.* Abſtineo ab alijs locis Auguſtini, ut meam obſervationem authoritate duorum recentium, ſed nobilium Theologorum confirmem: Petavij & Morainij, qui quoniam Petavium citat ejus teſtimonium ſolius produco *Eſt etiam* inquit, *obſervandum id quod rectè notavit Petavius*, tom. 3. *Dogmat. Theologic. l. 4. de Opif. ſex dier. c. 4. n. 11. Juxta phraſim Divi Auguſtini Poſſe, aut non Poſſe frequenter ſignificare non ipſam poteſtatem, ſed actionem, & ſumi pro eo quod re ipſa futurum eſt. Quo ſenſu non poſſe reſiſtere Gratiæ, idem eſt, ac voluntatem re ipſa non reſtituram, et non*

poſſe,

posse non perseverare, idem esse ac esse reipsa perseveraturam. Eo que sensu, &c. Quo testimonio magnum meæ sententiæ momentum additum puto, ne quis novorum me Theologorum impugnare audeat, nisi à suis velit deficere.

Secudùm, quod animadverti debet, illud est. In sententia Recentiorum Scholasticorum, qui dicunt Auxilium Sufficiens relinquere voluntatem Indifferentem ad operandum, ut sartam tectamque ejus libertatem (quam in indifferentia collocant) relinquant, par illud in omnibus esse debere. Nam cum voluntas omnium, ut sit libera, indifferens futura sit, Auxilium accommodari debet indifferentiæ: & cum hæc sit ejusdem rationis in omnibus liberè operantibus, quod in æquali potestate ad utranque partem consistit, æquale item Auxilium futurum est; ne si augèatur & crescat inclinando suis momentis voluntatem, indifferentiam auferat. Deinde quia nihil addi potest Auxilio Sufficienti, cum semel sufficiens est: quia si id necessarium est ad operandum falsò supponitur sufficiens: & cui non addatur illud necessarium carebit Auxilio sufficienti: nec illi Deus satis providebit: imo ex hac diversitate sequitur in eorum sententia inæqualitas, & quædam veluti iniquitas ex parte Dei negantis illud augmentum Gratiæ, quod ad operandum supponitur *necessarium*, ut phrasi Suarij utamur. Quibus sanè argumentis auxilium sufficiens statuūt Recentiores Societatis Jesu Authores: negant que reipsa ab Efficaci distingui, uti patebit, cum de eo propriè agamus: nunc id tantum quod docent accipimus, & refellimus: hac ratione.

Si

Si Auxilium iſtud par eſt, & æquale ſequitur, cum eadem omnino portione Gratiæ fieri actus intenſos & remiſſos : ac cum parva omnino Gratia magnos & perfectos produci actus, & quicquid eſt in ijs intenſionis à voluntate conante eſſe : quod neſcio utrum quis tuto poſſit admittere ? nam ſicut non eſt proportionata natura ad incipiendum actum ſine Gratia : ita ſuo modo non eſt apta ad eum augendum ſine majore Gratia. Alioqui fiét à nobis aliquid, quod non ſit a Gratiâ, nec erit verum illud Chriſti. *Sine me nihil poteſtis facere*, nec illud Pauli *Quid habes quod non accepiſti ?* Præterea certiſſimum eſt Sanctos quoſdam majori Gratia prævento & excitatos a Deo fuiſſe quàm alios minores : niſi quis neget Joannem Baptiſtam & Apoſtolos, aliòs que ſummos Sanctitate viros præſertim Martyres majoribus Auxilijs donatos fuiſſé. Quin Beatiſſima Virgo, quam unam Suarius vult omnibus juſtis collectim ſumptis Sanctiorem eſſe, communi, & pari cum cæteris Gratia eam mirabilem ſanctitatem comparavit. Tandem ſi id verum ſit, ac in noſtra eſt omnino Gratia poteſtate : nec alijs ſanctiſſimis, qui virtutis fuerunt, & habentur miracnla viris, in recipiendo Adjutorio Dei impares ſumus, ſed parem cum ijs Gratiam accipimus, poterit quis noſtrum homuncionum miſerorum (in quorum ego ſum numero) utendo datâ ſibi Gratiâ ad culmen in quo illi ſunt conſtituti ſanctitatis aſcendere, imo & ad Joannis Baptiſtæ & Apoſtolorũ Gratiã aſpirare, imo etiam conando & nitendo ulterius procedere, eoſque longo intervallo ſuperare. Quód ſi quiſquam horum Indifferentis Gratiæ Authorum conſequi ſe poſſe confidit,

fidit, videat, ne dum eam affectat viam Icarios volatus, & Phaetontæos ausus imitetur. In mentem veniat Ignatij, Franciſci, & aliorum qui cum eximia Gratia præditi eſſent *cum timore & tremore ſalutem ſuam operabantur*, & omnia quæ rectè ac ex officio agebant Dei miſericordiæ tribuebant; ſoliti non in ſe, *ſed in Domino gloriari*. Uni cuique noſtrum *Deus partitus eſt menſuram fidei*, & Gratiæ, non ad libitum noſtrum, ſed ad placitum ſuũ: ejus miſericordiæ debemus quicquid ſumus, quicquid agimus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre Luminum. Perditio tua ex te Iſrael tantummodo ex me Auxilium tuum.* Hoc Seraphicus ille vir Franciſcus Pater cogitabat, cum in ſupremo ſanctitatis faſtigio conſtitutus, tot ſingularibus affectus donis, quot vix quenquam alium præditum meminimus, ad ſe rediens, & intimè diſcutiens, fatebatur *Maximum ſe omnium peccatorem eſſe*: eâ ratione, quòd cùm a Deo tanta tamque egregia dona accepiſſet, minus certè alijs (ſi ea habuiſſent) donanti Deo reſponderet. Quo nos tria docuiſſe comperio. Primum: non omnium parem Gratiam eſſe, cum Franciſcus noſſet ſibi majorem alijs datam fuiſſe. Secundum: Quo quiſq; ſanctior eſt, ac Deo propior, eò ſibi minus debere tribuere, quòd quicquid proficit in eo certè gloriari non poteſt. Tertium: non ex eo quòd Franciſcus affirmarit alium melius ſe Divinæ Gratiæ reſponſurum, ſequi, uſum Gratiæ omnino pendere ex arbitrio, cùm juxta eam moveatur arbitrium; ſed eam eius humilitatem fuiſſe ut myſterio rem illam involuens ſanctitatem ſuam tegeret; nec ille ſane aut veritati, aut Gratiæ detrahebat:

non veritati, quia ſi Deus ita vellet ſummus peccator juſtior ſe ipſo evaderet: non Gratiæ, quia tunc Deus adderet Gratiæ unde ille Peccator perfectior exiſteret. Quæ omnia eó tendebant, ut nos ad humilitatem Chriſtianã: erudiret: Cujus optimus Magiſter Chriſtus nos etiam præſtitis virtutis officijs dicere præcepit *ſervi inutiles ſumus.* Quam doctrinam nemo Paulo Apoſtolo veheexpoſuit, commendavit, nemo Auguſtino accuratiùs mentiùs nemo Franciſco perfectiùs expreſit.

CAP. IX.

Utrum Adjutorium Sine quo non *id eſt* Sufficiens *omnibus, nemine prorſus excepto, hominibus detur?*

UTi ſunt homines neſcio quo fato Felices & Gratioſi: ita quædam ſunt opiniones Fortunatæ, & grãtæ. Hujuſmodi eſt iſta Univerſalis Gratiæ *Sufficientis* quæ ita invaluit in ſcholis, ut pene communis ſit, & quòd Gratiæ omnibus copiam faciat omnium pene gratiam collegerit. Vix alia majore conſenſu recepta, inter eos etiam, qui non ſolum ſcholis in eadem religione diſident, ſed qui totis ſectis diſſentiunt.

Igitur ut ab Hæreticis incipiamus. Pelagiani duce Pelagio & Juliano Univerſalem Gratiam, quancunque tandem

tandem (qua de re aliàs) admitterent, inducebant, nixi loco Pauli celebri? *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Ita Pelagius comment. in 1 Tim. c. 2. Julianus apud Auguſt. l. 4. contr. eundem c. 8. Et ſic affirmat ſenſiſſe eos Antoninus Moraines. d. 26. §. 3. ac negat in hoc erraſſe. Idem tradit Joannes Maldonatus commentar. in Joannem. c. 1. n. 9. ad illud *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ubi ait: *Divus Auguſtinus contra Pelagianos de Prædeſtinatione diſputans, ut ſuam opinionem defenderet, non omnibus Gratiam dari, non omnes illuminari*, &c. Probatur autem Pelagianos hujuſce Univerſalis Gratiæ ſententiæ authores fuiſſe ex Epiſt. Auguſtini ad Vitalem. 107. ubi in 4. aſſerto ait: *Scimus iis quibus datur miſerecordiâ Dei gratuitâ dari: & 6. Scimus eis quibus non datur juſto judicio Dei non dari.* Quæ quidem aſſerta erant contra Pelagianos. Hos ſecuti Semipelagiani eandem Gratiam acerrimè defenderunt. Patet ex Epiſt. Proſperi in principio: nam inter ea quæ profitebantur: Unum hoc erat: *Univerſis hominibus propotiationem quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti Sine exceptione eſſe propoſitam.* Nec minus ex litteris Hilarij, ex quarum particula conſtat eos ita illam Pauli ſententiam explicaſſe, ut contra Auguſtinũ ſentirent, non certos tantum, *ſed omnes omnino* homines velle ſalvare Deum; ita *ut nullus habeatùr exceptus.* Nec opus eſt id opus authoritate aliorum probare, cum nemo non fateatur Semipelagianos in ea ſententia fuiſſe.

Poſt illos nono à Chriſto nato ſeculo extiterunt quidam quibus ſtudium impugnandi Gotteſchalum Monachum, declinandi in Semipelagianorum placita occaſionem præbuit.

Non ego eos Semipelaginiſmi condemno, nec hæreticis adnumero ; ſequutus ordinem temporum illos appello; nec illi ſane ſuſpicione caruerunt. Igitur Rabanus, Hincmarus, Pardulus, & qui cum ijs in Cariſiaca Synodo Gotteſchalcum damnarunt ſpecie tuendæ generalis Dei de ſalvandis omnibus hominibus voluntatis, & univerſalis Chriſti Redemptionis communem promiſcue gratiã induxerunt. Patet ex proprijs Epiſtolis Rabani ad Nothing. & Eberard. Hincmari ad Amulũ & Nicolaum Papam. Egilonem. Parduli ad Eccleſ. lugdun. Et ex lib. Hincmari de Prædeſt. & ex libello de 3. Epiſt. & de 3. quæſtion. & de abſol. & de tenenda verit. Remig. & Eccles Lugdun. & ex tractoria B. Prudentij Epiſc. Trecenſis. Aliiſque cum eorundem operibus, tum authoribus.

Qui his ſucceſſerunt ſuperiori ſeculo, Arminiani, & Remonſtrantes , Semipelagianiſmo renovato, eandem Gratiæ univerſalitatem retinuerunt. Ita Arminius reſponſione ad 32. articulos 2 part. art. 8. & in Exam. Prædeſt. Perkinſianæ. pag. 581. ubi late id probat & confirmat teſtimonio Pauli. *Deus vult omnes ſalvos fieri* reprobans Auguſtini ſenſum intelligentis de generibus ſingulorum : & aiens *pro ſingulis generum* ſumendum eſſe, ut nemo ſit expers Gratiæ ſufficientis. Cum parente peſſimo ſentiunt perperam liberi in Epiſtola Dedicatoria ad Senatum Roterodam. Reipub. dum invehuntur in ſententiam eorum , qui negant *vocari omnes ad Chriſtum* ex defectu Gratiæ Sufficientis.

Arminianos, Remonſtrantes ſecuti in Synodalibus. Art. 1. in quo improbant ſententiam de abſoluto Reprobationis

bationis decreto, quòd *tollit universalem Dei erga genus humanum philanthropiam & bonitatis effectum*: & Art. 2. affirmant Universalem Redemptionem & Generalem Dei voluntatem erga omnium salutem: ac eadem quâ Arminius ratione interpretationes Augustinias rejiciunt: & statuunt ita singulos esse redemptos, & ad salutem destinatos, ut nemini ea adjumenta desint, quibus Redéptionis finis, ideſt salus æterna, haberi possit. In eadem chorda oberrant Art. 3. & 4. de Gratiâ, ubi non longè á principio aiunt: *vocationis administratio fluit ex generali Dei erga genus humanum misericordiæ affectu* idque maximè probat Corvinus adverſ. Molinæum c. 5. & 31. Adjiciunt paulò pòst. *Ex Scripturis elicimus distinctionem voluntatis antecedentis, & consequentis: cujus mens alia non est, quàm Deum velle sincerè, & seriò, ut omnes salventur.* Eandem cramben repetunt in Apologia. Exam. Cenſ. capitis 13. & quanquam negent (ad vim censuræ eludendam) se ubi impugnantur, eam sententiam tradidisse, affirmant tamen cum Gerardo Vosio, & Marco Antonio de Dominis *Eam Patres omnes primorum seculorum in universum tenuisse, ipsumque adeo Augustinum variis in locis eam teneri videri voluisse.* Ac illi tandem ad finem. Parag. *Alterum effatum* acquiescunt. Horum omnium integræ scholæ, nemine dissentiente, hujusmodi placitum amplectuntur.

Ex alijs sectarum spatijs multi in hanc opinionem deflexerunt, ij que Hæretici capitales. Zuinglius Commentar. de vera & falsa Religione cap. de Evangelio: ubi inter cætera: *Summa jam* inquit *hujus particulæ est, quod Christus sit omnibus omnium nationum generum que hominibus salutaris.*

ſalutaris. Ipſe enim vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Et in commentar. Epiſt. ad Roman. *Donum Dei Chriſtus multò copioſiùs, quam peccatum in quod nos Adam conjecit.* Tunc. *Multi vocati, ideſt omnes, tota multitudo: ſic alibi multos vocatos dicit, ideſt omnes per prædicationem ſcilicet externam. Per multos ergo omnes, & univerſam multitudinem intelligit. Nam peccatum Adæ in omnes effluxit, & ſerpſit.* Bullingerus Actor. 10. 34. & Actor. 14. affirmat Ethnicis hominibus nunquam ſe Deum ſubtraxiſſe: quin omnes illuminaſſe: ut ad ſe poſſent acceptis radijs pervenire. Pellicanus commentar. in Ezech. c. 18. 23. ſic: *Voluntas divina eſt omnes ſalvos fieri; & ad agnitionem veritatis venire*: & concludit. *Ne quis ſponte pereiens haberet quod prætexeret ſuæ militiæ, facilis aditus datus eſt omnibus ad ſalutem.* Muſculus in locis communibus loco de Redemptione generis humani eandem ſententiam perſpicuè tradit. Illud teſtimonium ſit ſatis. *Quod redemptionem homines Reprobi ac deploratè impii non accipiunt, neque defectu ſit Gratiæ Dei, neque juſtum eſt, ut illa propter filios perditionis gloriam, ac titulum univerſalis redemptionis amittat, cùm ſit parata cunctis, & omnes ad illam vocentur.* Nec non Comment. in Joan 3. 16, 17. & aliis compluribus locis idem ſuadet. Bucerus ejuſdem ſenſus eſt author. in Pſal. 130. & in cap. 1. Epiſt. ad Roman. & cap. in eandem 10. ſic. *Ipſe eſt ſalvator omnium: quorum Dominus eſt: hoc eſt omnium mortalium. Omnium eſt Deus & ſervat omnes: ut tamen reprobos, poſtquam abutuntur ſalute temporariâ, tandem jure optimo addicat gehennæ.* Melanchthon non tam ſectator, quàm magiſter & ſuaſor Univerſalis ac ſufficientis Gratiæ fuit. Igitur

gitur in locis communibus: loco de Evangelio : *Sicut* inquit , *necesse est scire Evangelium esse gratuitam promissionem ita necesse est scire Evangelicam promissionem universalem esse : hoc est offerri & promitti omnibus hominibus reconciliationem. Hanc universalem tenere, necesse est adversus periculosas imaginationes de Prædestinatione ; ne disputemus hanc promissionem ad paucos quosdam alios pertinere, non pertinere ad nos*, &c. Et in Explicatione præcipuorum Articulorum Fidei. Artic. de fide. *Sicut universalis est Pœnitentiæ prædicatio, ità & promissio Gratiæ universalis, & omnes credere jubet, & accipere beneficium Christi, sicut Christus inquit : Venite ad me omnes.* Idem perspicuè magis Commentario in Epist. ad Roman. c. 5. *Particula Omnes plena consolationis est : Omnibus enim offert remissionem peccatorum : quare omnes qui ad eam confugiunt, eam que fide apprehendunt salvantur, & opponi debent hujusmodi particulæ universales periculosis cogitationibus de prædestinatione.* Lavaterus eadem insistit vestigia in Ezechielem, c. 18. vers. 23. *Deum*, inquit, *non desiderare mortem impii hinc apparet, quòd omnes homines invitat ad agnitionem peccati*: ac in eo argumento copiosissimé versatur. Consentit Andreas Hyperius in Methodo Theolog. l. 1. c. de Prædestinatione: *Non mediocrem consolationẽ accipiet, qui in hac causa perturbatur , si in super demonstretur ei, quòd promissio Gratiæ sit universalis*, &c. Ac loco de voluntate Dei, quærens quomodo verum sit illud Pauli : Deus *vult omnes homines salvos fieri* cùm multi non salventur. Respondet penè more Catholicorum *Voluntas Dei semper impletur : sed ita quidem, ut quædã perficiantur juxta ipsius decretum necessitate absolutâ : quomodo dicimus voluntate Dei ordinatũ esse ut omnes homines semel moriantur*,

tur: 1 Corin. 15. *ad* Hebræos 9. *quædã verò perficiantur necessitate conditionali, quo pacto ostendimus accipiendũ quòd Deus vult omnes homines salvos fieri.* Accedit Sebastianus Castellio, à quo magna vi probatur hæc generalis erga omnes ac singulos homines benevolentia Dei, ac ex ea Gratia universalis, quam in illa voluntate nitam ostendit Dialogo 1. de Prædestinatione variis in locis: & in fine ait opponens Prædestinationem ex præviſis meritis conditionatis, alteri ex decreto absoluto ante prævisionẽ: sic ait: *At si credas à Deo creatos esse homines omnes ad salutẽ invenies omnia contraria: videlicet Dei paternũ in omnes à se creatos animum, & misericordiã liberatissimã, ejusque præcepta cum voluntate sine ulla simulatione convenientia; ita fiet*, &c. Eandem doctrinam tradit Dialogo 2. de Elect. & 3. de lib. arbit. & in Scripto de Prædest. q. 2. & in lib. de Calum. c. 18. & in Annot. in cap. 9. ad Romanos.

Quid? Quòd ipsis Hæreticorum Patriarchis Luthero & Calvino eadem Gratia communis omnibus & Sufficientis ratio placuit, quos tanquam Principes Senatus levissimi Pedanei & circumforanei Senatores imo & rabulæ, sunt secuti. Lutherus igitur Enarrat. in Psal. 51. ait *Psalmũ illum de miseratione Dei transferendũ in generalẽ doctrinã, quæ pertineat simpliciter ad omnes homines, nullo excepto.* Et Comment. in Joel. c. 11. 13. *Victimã à se contra peccatũ destinatã, nempe Filiũ suũ æternũ vult omnibus hominibus cõmunem esse.* Et in altera *Enarrat.* in Joel. Tom. 3. oper. Lutheri. Super illis verbis. *Quicunque invocaverit nomen Domini. Imprimis* ait *observanda est particula infinita, Quicunque, Neminẽ enim excludit à salute:*

salute : quam gratis promittit invocantibus. Hæc Lutherus ne quid esset, quod non diceret homo vanissimus & ad omnia audenda paratissimus. An vero a se ipso defecerit, nunc non dico, paulo post suo loco dicturus.

Ad Calvinum dignum eâ Patellâ operculum venio. Is quanquam absolutæ Prædestinationis defensor acerrimus sit, universalis tamen Gratiæ strenuus assertor existit. Igitur Tract. de Prædest. sic habet. *Constat omnes promiscuè ad Fidem & Pœnitentiam vocari : unum eundèque Mediatorẽ omnibus proponi, ut ab eo Deo Patri reconcilientur.* Item Comment. in cap. 5. Epistolæ ad Roman. *Communẽ omniũ*, inquit, *facit Apostolus, quia omnibus expositа est : non quod ad omnes extenditur re ipsâ. Nam etsi passus est Christus pro peccatis totius mundi, atque omnibus indifferenter* Dei *benignitate offertur non tamen omnes apprehendunt.* Prætereà Comment. in Joan. 11. 16. *Ut quicunque credit in eum,* &c. *Universalẽ* ait *notam apposuit, ut promiscuè omnes ad vitæ participationem invitet, tum ut præcidat excusationẽ incredulis. Eodẽ enim pertinet Mundi nomen, quo prius usus est. Tametsi enim in mundo nihil reperiatur favore Dei dignũ ; se tamen toti mundo propitiũ ostendit, cum sine exceptione omnes ad Christi Fidem vocat : Patet enim omnibus Christus, ac expositus est.* Tandem lib. de Prædestinat. *Caret controversia, Christum pro omnibus mortuum esse, & venisse expiandis peccatis mundi.* Non potuit clariùs loqui Calvinus. Pro hac sententia pugnat Testardus, uti patet ex opusculo Antagonistæ Mosis Amyraldi ac ipsius Amyraldi testimonio consentit. Camero qui Decretum conditionatum agnoscit, ac ejus operâ Gratiam Communem sufficientem defendit

quemadmodum referunt duo hi Autores ejus verba commemorantes. Nemo tamen acriùs eam Hæreticorum & copiosiùs defendit, quam Moses Amyraldus in prolixo opere *de Gratia Universali*, ac præcipue in Præfat. ubi Synodo Dordracenæ quæ oppositum videtur definisse (etsi ille neget) opponit synodum Poloniecam, quæ Gratiæ Universalitatem statuit; imo & affirmat in ipsa Synodo Dordracena *præstantes quosdam viros è Magna Britannia Gratiam communem subjectivam vel statuisse, vel Lutheranis pacis causâ concessisse.* Atque adeo concludit id ipsum Ecclesias Reformatas & sentire, & docere. Itaque omnium penè nostri temporis hæreticorum ea opinio est: si paucos Calviniani instituti rigidiores sequaces, excipias.

Quòd Catholicos attinet, mirari libet quæ tantùm hæreticis sententia placuit, eam ijs tantoporè probari potuisse. Inficias ire non possumus magno consensu Doctores illam, præsertim Scholasticos, arripuisse. Ac rem altius repetentes Patres Græcas eius primos Authores fuisse dicimus. Fuerunt autem Dyonisius Areopag. de Cælesti Hierarch. c. 9. Clemens Alexandr. l. 2. Stromat. Chrysostomus Homil. 7. in Joannem. & Homil. 26. Epist. ad Hebræos. Nazianzenus. Orat. 21. de laudibus Athanasij. Cyrillus, Theophyl. & Euthymius. in locum Joannis c. 1. *Illuminat omnem hominem venientë in hunc mundum.* Testimonia non adduco, & quod facile est ea invenire, & quòd citabo Recentiores apud quos videri possunt Suarez in 1. p. l. 4. de prædest. c. 4. & tomo 2. de Grat. l. 4. c. 11. Et Maldonatum Commentar. in Joannem c. 1. n. 9. qui ait *omnium Græcorum*

eam

eam sententiam locum Joannis interpretantium esse. Et Antoninu Moraines. d. 26. de Grat. Sect. 4. Ex Latinis Cyprianus Epist. 59. Hilar. 2. de Trinit. Ambrosius Serm. 8. in Psal. 118. Hieron. in Comment. Epist. ad Titum. Arnob. l. 2. adversus Gentes. Paulus Orosius Apolog. per libertate. De Augustino & discipulis posteà agemus.

Scholastici videntur penè omnes in eandem sententiam conspirasse. D. Thomas. 3. contr. Gent. c. 159. in fine. & lect. 5. c. 6. in Joan. 9. 3. D. Bonavent. in 1. d. 40. a. 4. q. 2. & in 3. d. 25. a. 1. q. 2. ad ult. arg. Alens. 1. p. q. 28. m. 2. a. 2. Scotus. in 1. d. 46. q. un. ad 1. arg. Adrian in 4. q. 1. de Pœnit. Capreol. in 1. d. 46. q. un. a. 3. dub. 3. Rich. in 2. d. 28. a. 1. q. 3. ad 4. Durand. in 3. d. 25. q. 1. n. 9. Ferrar. 3. contra Gent. c. 169. Sect. Par. Ad hujus. Domin. Soto 1. de nat. & Grat. c. 18. Malderus. 1, 2. q. 11. a. 3. dub. 5. m. 1. Ledesma. disp. de Auxilijs art. 16. q. unica. Driedo di Redemp. & captiv. c. 3. & 5. Andreas de Vega lib. 13. in Concil. Trident. c. 13. Imo id ipsum penè scholæ principales sentiunt. Scotistica, Thomistica, Jesuitica, si ex hac tamen unum ex ejus principibus clarissimum Theologum, Vasquium excipias: cujus ego infra cum de Augustini mente egero, sententiam ad calculos revocabo.

Nititur primum hoc placitum locis Scripturæ. Deinde argumentis rationum. Et quidem de omnibus omnino hominibus intelligenda sententia est: tum infantibus, tum adultis, horum vero tum Fidelibus, tum Infidelibus; ita ut ad omnes universalis Gratiæ beneficium extendatur, & nemo ab eo excludatur. Hæc

autem sententia primùm probatur Sacræ Scripturæ testimonijs: quæ non pauca afferuntur. Præcipua tamen sunt tria. Joannis 1. n. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quod omnes fermè Patres Græci de Gratia intelligunt, uti ex Maldonato observavimus. Epist. 2. Petri. 3. n. 9. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Pauli 1. ad Timoth. 4. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Unum Capitale ac celeberimum ejusdem Pauli in eadem Epist. 1. ad Timoth. c. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Alios locos adducunt citati Authores. Ego illustriores dedi.

Argumenta rationum hæc fermê sunt. Primum ducitur á Φιλανθρωπία & benignitate Dei erga homines quæ certe cum sit infinita circumscribi non debet, sed ad universos extendi.

Eo maximè utuntur Hæretici, uti videre est apud Remonstrantes, & Arminianos, ac unum Calvinianum Amyraldum.

Secundum sumitur ex Æquitate Dei: quem non decet inæqualiter se habere erga homines, quorum & conditor fuit, & salvator esse voluit: nec quibus naturam ex æquo rationalem impertit, non debuit ex æquo Gratiam impartire. Hoc Scholastici fermè utuntur.

Tertium petitur ex Providentia, quæ sanè minus constaret, si Deus non omnibus necessaria ad salutem obtinendam provideret. Ecquis enim neget indignum esse, ut á quo volatilia cæli pascuntur, & lilia agri vestiuntur, is pabulo cælesti homines privet, ac eorum animos.

mos Gratiâ nudatos relinquat. Hoc item Scholastici urgent.

Quartum: Nemo homo non est ad finem supernaturalem destinatus: sed cui Finis proponitur, ei necesse est media ad eum assequendum tribuantur: igitur non potest ullus homo Gratiæ Sufficientis adjutorijs destitui. Hujusmodi ratio Scholastica est.

Quintum: Omnes homines, nullo excepto, redempti sunt à Christo: quod si redempti, aliquid ex eo sanguine participarunt, qui incassum fusus non est. Igitur ad omnes aliqua Gratia, quæ est fructus sanguinis Christi pervenit. Hæc quinque Argumenta neminem patiuntur, ne Infantem quidem excludi. Hoc totum à schola est.

Supersunt duo pro Gratia communi omnium adultorum. Alterum sit. Omnibus adultis lex naturalis proposita est, quæ veluti mentibus innata, & animis insita est: atque adeo eam servare tenentur: hoc autem vel possunt sine gratia, vel non: si non possunt, necessaria est Gratia; quòd si necessarià, omnino danda: si possunt, servantibus legem justum est præberi Gratiam, quâ demum salutem æternam consequantur: quæ sine Christi Fide & Gratia comparari nequit.

Alterum esto. Ad vitanda peccata omnia necessarium est Adjutorium gratiæ supernaturalis, quod si non adsit, aut non peccabunt homines, aut excusabuntur, si peccent: Peccant autem, nec excusantur, igitur habent gratiam sufficientem ad peccata vitanda. Quæ duo argumenta afferri solent ab scholasticis doctoribus amplificata & exaggerata maximè, quòd summam invijs

vim

vim sitam esse arbitrantur. Quam invictam putant additâ illa voluntate divina salvandi omnes homines ex Paulo accepta: nam ea universalis cum sit, ad omnes pertinet, & neminem patitur excludi. Et quidem de re ita sentiunt Scholastici omnes unanimes, omnes constantes. De modo haud parum dissentiunt. Nam cum venitur ad Infideles barbaros in recessu quodam naturæ positos, ferino more vitam agentes in quibus tam obtusum est ingenium, tam incondita indoles, tam inculti mores, tam rudis habitus, ut obrutus ille videatur ignis rationis, cum præsertim non sit a quo excitetur, & accendatur, quòd ad eas nunquam lux Fidei penetrarit, hærent profecto dubii quo se vertant, quidve cùm se verterint dicendo arripiant. Jam vero cùm ad parvulos, qui vel ab ijs infidelibus, vel à Turcis, vel ab alijs gentibus qui Baptismate non utuntur, transitur, major adhuc eos dubitatio tenet, nec explicare se valent, imo quo magis conantur evadere instaravium, quæ in viscatas incidunt virgulas implicantur. Tanta est tamen apud ipsos Religio erga illa Scripturæ testimonia, tantum earum rationum pondus, tantus earum difficultatum ex negatione Sufficientis Auxilij Universalis metus, ut malint intra illius labirynthi inextricabiles sinus mæandros que remanere, quam filum quarere, cujus ope evadere ex illo indeprenso & irremeabili errore possint.

Filo igitur neglecto, nequis in eos Minotaurus possit incurrere, clypeo se muniunt, quem Aiacis scuto solidiorem putant. Aiunt communiter (quod attinet adultos) ijs omnibus inesse divinum quiddam munus rationis,

rationis, id est ipsum lumen signatum mentibus, quod è lumine insito naturâ flammas concipit, & per quasdam quasi fimbrias se prodit, & lucem parit ad recte sentiendum & operandum. Quo qui bene utatur, & legem servet naturalem, is gratiam à Deo, quæ sit ad salutem satis, consequetur, id que vel ministerio hominis aut Angeli, aut aliâ interiore operâ, quam Deus procul dubio adhibebit. Sed in hoc variant, & quidam periclitantur: Dum naturalibus illis operibus aut initium congrui meriti, aut inchoatam dispositionem, aut occasionem, aut saltem conditionem sine qua non attribuunt. Qua de re eruditissimè (uti solent) lumina illa duo Scholæ Jesuiticæ Vasquez, & Suarez: in quorum ego luce versor, versabor que *Dum spiritus hos regit artus*. Vasquez 1. p. disp. 91. c. 11. & præcipue d. 97. c. 5. de grat. 1. 2. c. 11. usque ad 18. qui viam hac in re certiorem tutioremque commonstrat: quam suo loco indigitabimus.

Verum cum urgentur, aliquos esse homines ita efferatos tam que à ratione abhorrentes, ut non solum de Deo, aut ejus cultu, sed ne de rationabili quidem vivendi consuetudine quicquam vel noverint, vel audierint: qui more pecorum vitam degant, ad pastum abjecti, ventri & ijs quæ ventri sunt proxima, servientes, sine ullo humanitatis sensu, Anthropophagi, & à rupibus haud multùm, si vitam excipias, distantes: cujusmodi multos his duobus proximis seculis, apertis Indijs repertos in historijs nostris Lusitani legimus, miris se modis torquent, & excruciant, ut aptum aliquid respondeant. Et quidem plures hoc argumentum suppli-

munt

munt eo ne obruantur, quemadmodum ſoleo animadvertere, & nunc in Antonino Moraines & Annato obſervavi ; qui cum Authores accurati & circumſpecti ſint, & ſtrenui hujus Univerſalis Gratiæ ex generali Redemptione & Voluntate Chriſti & Dei defenſores, cùm ad infideles veniunt vel ſe ſubducunt, vel tergiverſantur. Certè Morainium cum legi de Gratia infidelibus oblata diſputantem, memini illius Androgeo Virgiliani ſcitè ei comparati.

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſq; repente refugit.
Attollentem iras & cærula colla tumentem.

Nec ineptè: nam illi barbari in ſuis gurguſtiis viventes ac exijs prodeuntes colubros imitantur.

Fortius ſe opponit difficultatis Suarius tom 2. de Grat. l. 4. c. 11. & ſequentibus, cum eaque ſtrenue luctatur, ſi qua poſſit dejicere : ſed eludit potius eam quam elidit. Quid reſpondeat cum illud infra argumentum adduxero expendam. Significat ille ſane diſtinguendo varias Auxiliorum formas & inform ijs pene Auxilium tribuendo, quam ſit difficile Sufficientem ijs Gratiam aſſignare.

Jam verò Infantes qui in uteris matrum vel inter Chriſtianos vel barbaros moriuntur, vel qui recens nati denſiſſimis Gentilitatis tenebris extinguuntur vix admittere poſſe videntur Adjutorium aliquod Gratiæ ſufficientis. Et quidem de his ſumma difficultas eſt, ut apparet in Suario, & paulo poſt in Vaſquio apparebit. Scio com-

communiter dici ab Scholasticis omnes hos habere Auxilia parata, & oblata in Causis Universalibus, & Deum quantum ex se paratum esse dare, sed per naturalium rerum cursum, quem Deus non tenetur invertere nondicere, idque ego cum Audirem Theologia in Societate Jesu à Magistris meis acceperam, & acceptum in positionibus tum privatis, tum quas habui Conimbricæ totius Theologiæ, publicis defenderam; sed postea lecto Augustino & Vasquio comperi non posse illâ argumento satisfieri ratione, quemadmodum suo loco, id que jam agere incipimus, constabit.

CAP. X.

Altera sententia quæ Gratiam circumscribit, nec Omnibus omnino hominibus communem esse vult multò paucioribus tum Hæreticis, tum Catholicis probatur. Quod ad Lutheranos attinet, etsi Antagonistæ Jansenij Antonius Richardus, Antoninus Moraines Franciscus Annatus Thomas Augustinus & alij affirment Lutherum Gratiam Universalem & Voluntatem Dei de salute omnium generalem negasse, eum que eo Lutheranos sentire, citentque locos ejusdem & Zanchij & aliorum: necesse tamen est rem hanc exactius pendere. Ego enim eâ item opinione quam in Societate juvenis acceperam imbutus, & locis illis inductus credebam, eos ejus sententiæ esse Authores: sed postquam

Londinum occaſione legationis veni, & in Lutheranæ ſectæ homines Suecos ejus dogmatum peritiſſimos incidi, mutavi ſententiã. Nam cum ij in quædam folia Tomi primi excuſa incidiſſent, ac inter ea initium Capitis 6. inquo aiebam Lutheranos Univerſalem Gratiam & Redemptionem Chriſti negaſſe, reprehenderunt me quod ita de ijs ſentirem & ſcriberem, monueruntque ut deinceps contra exiſtimarem, & dicerem. Cumque Art. Lutheri 36. ex damnatis a Leone in quo id continebatur, & Roffenſem & Coccium, atque adeo doctiſſimos illos Patres Jeſuitas objeciſſem, reſponderunt. Etſi Lutherus primum in ea ſententia fuiſſet, ab illa eum poſtea diſceſiſſe & quam poſtremo tradidiſſet, eam ſuos ſequi & tradere. Rogarunt que ne ſibi illam opinionem affingerem, neve eam apud ſe notam inſcitiæ vellem incurrere. Omnino à ſe cum Luthero Univerſalem Gratiam & Generalem illam Dei de ſalute omnium voluntatem confirmari: locos Lutheri poſtulavi: libros aliquot commemorarunt, ſed ſcriptos locos dare non potuerunt, quod libros ſecum in Angliam non attuliſſe dixerunt: nec mihi licuit hac de re cum ijs accuratius agere.

Novi tamen eos haud temerè illud affirmaſſe: nam cum Jacobi Arminij opus quod Declaratio ſententiæ inſcribitur diligenter legiſſem, comperi, Lutherum primam quam de Prædeſtinatione Abſoluta ante merita prævisa, & Electione certorum præ alijs derelictis, quæ Auguſtini ſententia eſt, antea tenuerat, deſeruiſſe: aliamque Arminij & Remonſtrantium quæ generalem Dei voluntatem & prævisionem conditionatam meritorum

torum, communemq; Gratiam affirmat tenuiſſe, quam & Melanćthon ſit amplexus, & Lutheranæ Eccleſiæ profiteantur. Teſtimonium Arminij adduco. Is igitur in Declaratione ſententiæ ad Ordines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ ad medium fol. 92. ſic ſcribit. *Vigeſimo atque ultimo hæc doćtrina de Prædeſtinatione à majore parte Chriſtianorum tam olim quam etiam nunc hodie que rejicitur. Ut vero de ſuperioris ſeculi temporibus nihil dicam: res ipſa loquitur. Eccleſias Lutheranorum, Anabaptiſtarum, etiamq; Papiſtarum doćtrinam hanc pro erronea habere. Imo Lutherus & Melanćthon utut in primo Reformationis initio eam probaverint, tamen poſtmodum ab ea deſciverunt. Ac de Melanćthone quidem id clare apparet ex ſcriptis illius poſterioribus. De Luthero vero idem ſtatuunt qui ſe Lutheri diſcipulos vocant, qui tamen hac in re ſententiam ipſum ſuam potius declaraviſſe plenius, quam â priore deſciviſſe penitus contendunt. Philippus vero Melanćthon ſententiam hanc non multum à fato Stoicorum abhorrere credidit, maxime vero in Epiſtola quadam ſcripta ad Gaſparem Peucerum.* Hæc Arminius, ac ex his ultimis verbis conſtat de qua Prædeſtinatione loquatur, nempe de abſoluta certorum Prædeſtinatorum ante præviſionem meritorum, quam nomine *Fati* ab Auguſtino inducti Semipelagiani improbabant: ſuâ quæ & Arminij eſt ex voluntate Generali Dei, & gratia Univerſali invectâ, quam Lutheri & Melanćthonis & Lutheranorum, & Anabaptiſtarum eſſe contendit. Ut appareat quanto nos jure & Lutherum, & quoſdam ejus ſectatores Univerſalis Gratiæ & Generalis illius voluntatis authores illius ſententiæ fuiſſe dixerimus. Cum Arminio conſentit Moſes Amyraldus proximé ciratus

in præfatione ad opus de Gratia Univerſali ubi bis affirmat Lutheranorum conventus omnes illam fateri.

De Calvino ejus que diſcipulis unum nec indoctum, nec indiligentem audiamus nempe eundem Moſem Amyraldum. Hic in Præfat. ait ; Calvinum univerſalem Gratiam & Generalem Chriſti Redemptionem docuiſſe & plurimis locis confirmat. *De Dordracena autem* Synodo, & Conventu Proteſtantium ſic *In Confeſſione Fidei Eccleſiarum noſtrarũ & in Decretis Synodi Dordracenæ vel de quæſtionè illa noſtra ideſt de Gratia univerſali, nihil apertè conſtitutum eſt, vel ſiquid in ea conſtitutum eſt, id ſtat ab eorum parte qui Redemptionis univerſalitatem defendunt.* Ego author ſum Calvinum hac in re varium ſe ac inconſtantem præbuiſſe. Calvinianorum rigidiores quoſdam & tenaciores communis gratiæ copiam denegaſſe: cujuſmodi ſunt Paræus, Petrus Molinæus, Kimedontius, Ameſius, alij que hujuſmodi. Cæteros in contrariam ſententiam cum Lutheranis, Anabaptiſtis, Arminianis, Remonſtrantibus fermé abjiſſe.

Catholicorum (de Scholaſticis loquor, Auguſtinum & Patres ad ultimum reſervo) aliquanta diverſitas eſt. Quidam Sufficientem prorſus Gratiam dari negant, quòd nullam niſi Efficacem agnoſcant. Duos invenire potui hujus Authores ſententiæ. Alterum Cælium: quem citat Paulus Bennius Patavinus in libello de Auxil. Sufficiente & Efficaci : ac ex eo Suarius tomo 2. de Grat. l. 4. c. 1. n. 2. ac ex Suario ego. Alterum Cornelium Janſenium l. 3. de Grat. Chriſti c. 1. 4. & 5. & aliis quæ refert Moraines diſput. 23. ſ. 1. & d. 25. ſ. 2. & 3. 5. & Annatus l. 1. c. 21. a. 8. Alij admiſsâ Gratiâ Inefficaci

efficaci & Sufficiente negant omnibus omnino donari. Et hi in eo conveniunt quod Omnibus Fidelibus gratia Sufficiens datur. Sed eorum quidam aiunt eâ carere Peccatores induratos, obſtinatosque qui cùm ad eum ſtatum venerint Gratia omnino deſtituuntur. Ita docent Abulenſis in c. 4. Matth. 6. 12. Gregor. in 1. d. 46. q. un. circa ſolut. 3. dum impugnat ſecundam ſolutionem Cajet. in cap. 12. Joan. ad illud: *Non poterant credere.* Roffens. Art. 26. contr. Lutherum. Driedo de Captivit. & Redempt. generis humani tract. 5. c. 3. Michael Medina. l. 3. de recta in Deum Fide. c. 1. Ruardus Tapper qui eam dicit doctrinæ Patrum eſſe multo magis quam aliam conformem. Hos Authores citant Vaſquez 1. p. d. 97. c. 2. qui addit Henricum quodlib. 8. q. 5. licet ſubdubitantem & Moraines d. 25. ſ. 1. n. 7. qui affirmat eam eſſe aliquorum Theologorum: ex quibus tantùm nominat Michaelem Medinam & Driedonem. His adnumerari poteſt Coſmas Philiarch; de quo ait Suar. tom. 2. de Grat. l. 4. c 7. n. 2. referri pro ea ſententiâ, quæ negat Reprobis omne Auxilium. An vero hoc ſit probabile diſputat idem Suarius 4. tomo de Pænit. d. 8. Moraines vero citat multos Scripturæ locos quorum teſtimonijs hi Authores utuntur.

A Fidelibus induratis & obſtinatis ad Infideles de quibus majori jure diſputari poteſt, tranſeamus. Et quidem multis eorum non dari Sufficiens Auxilium non pauci authores affirmant. Ac primum ſupponendum eſt ex Suario, omnes, qui Fidelibus obduratis Auxilium negari dicunt, eos etiam negari illud Infidelibus ſentire oportere

oportere. Nam uti obſervat: Fides eſt Oſtium Gratiæ, & qui ſemel intravit ei nunquam omnino Porta obſtruitur, unde putat quibus Infidelibus prædicata eſt & credita Fides eos gratiæ Auxilijs non carere ita c. 11. lib. 4. Ex quo apparet eos qui Fidelibus gratiam dari quibuſdam negant, Infidelibus negari dicturos. Itaque pro hac ſententia citandi ſunt omnes, quos pro induratis adduximus: ac imprimis *Gregorius* in 1. d. 46. q. 1. ad 3. quem ſpecialiter citat Suarius ibidem n. 6. Illi item qui negant Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus propterea quod non eſt mortuus pro Infidelibus in hac prorſus ſententia ſunt. Ergo S. Remigius, & Eccleſia Lugdunenſis ita docet in lib. de tribus Epiſt. per multa capita. Acap. 15. ad 21. tam perſpicue, ut exponi aliter nequeat; nam c. 15 diſtinguit tres ordines Fidelium, & pro his ait *Chriſtum* mortuum eſſe. Addito autem quarto Infidelium, qui nunquam ad fidem ſunt vocandi negat pro eo Chriſtum mortuum eſſe: addit verò c. 16. rationem. *Neque enim Infidelium mediator eſt, ſicut nec Advocatus, vel Reconciliator: ſed Fidelium tantum.* Et c. 18. ait *Pro his qui ante adventum ſnum in impietate ſua mortui ſunt Nullatenus veniſſe* & idem affirmat de alijs, qui etſi pauciores in eadem infidelitate ac impietate moriuntur. Id que recognovit, & faſſus eſt Andreas du Vallius in notis. *Affirmat,* inquit *Chriſtum non fuiſſe Paſſū pro his qui* in *Infidelitate moriuntur.* Et quanquam adjiciat hoc dictum benignà interpretatione egere: coneturque explicare diſtinctione adhibita Sufficientiæ & efficaciæ: ita ut intelligendum ſit quod Efficaciam, non quoad ſufficientiam negare, qua ratione Concilium item Valentinum

lentinum exponit, non consentio, qui videam Concilium & Ecclesiam candidè, ac proprie, & sine fuco locuta, planè intelligenda, cùm præsertim terminis usa sint negativis, quorum natura non fert illa subterfugia; qui enim illud *Nullatenus* affirmationem sustinere possit? sed metuebat quiddam Du Vallius: sibi ergo metuere debebat, si sensu suo diceret: cum alienum proponeret, Fidei, non metus rationem habere oportebat. Si hoc modo exponendæ sunt veterum sententiæ, uti quisque timebit exponet, ac non veritati, sed formidini serviemus. Fitque, uti jam fit in quorundam scholis, Arbiter Metus.

Eandem doctrinam tradit idem S. Remigius & Ecclesiâ in lib. de tenenda veritate Scripturæ in Censura Tertij Capituli Conventus Carisiaci §. Quid vero, Loquens de ijs *ad quos nullus unquam prædicator accessit; qui nullum unquam verbum Fidei audierunt, qui utique nullatenus potuerunt credere ei, quem non audierunt.* De his enim non vult intelligi illud Pauli *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Et hos negat esse Redemptos à Christo à cap. 14. ad finem. Jam vero vero Concilium Valentinum Canone 4. *Item*, inquit, *de Redemptione Sanguinis Christi propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, itaut quidam sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usq; ad Passionẽ Domini in sua impietate mortui æternâ damnatione puniti sunt effusum eum definiant, contra illud Propheticum: Ero mors tua ô mors, Ero morsus tuus Inferne: illud nostris semplicitur & fideliter tenendũ ac docendum placet juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus de quibus ipse Dominus*

nas noſter dicit: Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto ita exaltari oportet Filiũ hominis, ut omnes qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipſum non pereat ſed habeat vitam æternam. Et Apoſtolus: Chriſtus inquit ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Ne autem videretur aliquos Fideles excludere, & de ſolis Prædeſtinatis loqui, quod erroneum eſt dicere, addidit Canone 5. Pro omnibus Omnino Fidelibus quicunque ſint, modo in Eccleſia fuerint, & ad eius corpus pertinuerint mortuum Chriſtum eſſe: ita ut pro ſolis Fidelibus mortuus non ſit. Authore Concilio. Item, ait firmiſſime tenendum credimus, quod omnis multitudo Fidelium ex aqua & Spiritu Sancto congregata, ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata & juxta doctrinam Apoſtolicam, & morte Chriſti baptizata in ejus ſanguine ſit à peccatis ſuis abluta. Quia nec in eis potuit eſſe vera Regeneratio, niſi fieret & vera Redemptio. Cum in Eccleſiæ ſacramentis nihil ſit caſſum, nihil ludificatorium, ſed prorſus totum verum, & ipſà ſui veritate ac ſyncerítate ſubnixum. Ex ipſa tamen multitudine Fidelium & Redemptorum alios ſalvari æternâ ſalute. Ecce Prædeſtinati Redempti, quia per Gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent ipſius Domini ſui vocem in corde ferentes qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Alios qui permanere in ſalute Fidei, quam initio acceperunt Redemptionis que Gratiam potius irritã facere pravâ doctrinâ vel vitâ quã ſervare elegerunt, ad plenitudinẽ ſalutis & ad perceptionem æternæ Beatitudinis nullo modo pervenire. Ecce Reprobi Redempti. De utriſque autem addit. Secundum ſententiam Pauli: in utroque ſiquidem doctrinam Pii Doctoris habemus:

Quicunque

Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus. Et omnes qui in Christo baptizati estis Christum induistis, &c. Hunc Canonem confirmavit Synodus Lingonensis, ut apparet ex Tom. 3. Concil. Anſ. Gall. Jacobi Sirmondi. ex Cod. Vaticano. Eam ſententiam de Redemptione Omnium Fidelium Nicolaus Pontifex confirmavit his verbis: *Nicolaus Pontifex Romanus de Gratia Dei & Libero Arbitrio: De veritate geminæ Prædeſtinationis, & ſanguine, Chriſti, ut pro credentibus omnibus fuſus ſit fideliter confirmat & Catholice decernit.* Quod decretum etſi in dubio ponat Hincmarus Epiſt. 24. ad Egilonem, & ſoli Prudentio æmulo ſuo in Annalibus id ſuis referenti tribuat, habetur tamen in Codice vetuſtiſſimo Bertiniano: ac refertur à Franc. du Cheſne Tomo 3. Hiſtor. Francor. ad Annum Chriſti D c. c. c. L I x. Puto locum hic non eſſe interpretationi Du-Vallij de Efficacia & ſufficientia quoad Infideles: nam hæc locum habet erga Fideles Reprobos ad quos efficacia non pervenit, in infidelibus vero neſcio quî habere poſſit, quod ſi habeat, non capio quomodo à Fidelibus Reprobis in Auxilio recipiendo diſtinguantur, nec cur de ijs mentionem non egerint Concilia, cum ad eos item ratio ſufficientis Auxilij pervenerit.

Cum Eccleſia Lugdunenſi, & Concilio Valentino ſenſit S. Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus, qui ſe Hincmaro pro Gotteſchalco Monacho oppoſuit, ejuſq; ſententias probavit. Et vero conſtat Prudentium de ijs opuſculum quoddam ſcripſiſſe, quod obtulit Patribus Synodi Pariſienſis (Turonenſem dicit Sirmondus) ac ijs probatum ad Hincmarum & Pardulum miſiſſe, ut e-

rum de univerſalitate Redemptionis & gratiæ opinionem confutaret. Cujus Autographum caſu ne, an induſtriâ? perijt. Apographum in ſcrinijs Sirmondi ſervatur. De eo memiit Rabanus Epiſt. ad Hincmarum: imo & Hincmarus ipſe lib. de Prædeſt. c. 3. ubi impugnat ſententiam de circumſcriptione Redemptionis & univerſalitatem ejus defendit. Nec id temerè aut ex conjecturis tantum aſſerimus, cum extet ſententia ipſius Prudentii in libro contra Joannem Scotum Erigenam c. 2. ubi Generalem de ſalvandis omnibus Dei voluntatem non admittit, ſed ex Auguſtini ſenſu ad certos quoſdam reducit: nec patitur ad ſingulos omnium generum extendi. Quod ſi ex ipſo Prudentio probari non poſſet, ſatis id conſtaret ex Hincmaro qui l. de Prædeſt. c. 33. de eo ſic. *Dominus Prudentius dicit ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti pro omnibus hominibus ex toto mundo credentibus fuſum, non autem pro illis qui in eum nunquam crediderunt, nec hodie que credunt, nunquam que crediturí ſunt.* Et addit: *Sed & Gotteſchalcus in hanc venit ſententiam.*

Magnum hinc momentum authoritatis Prudentij ſententiæ accedit: Approbatio ſcilicet Synodi Pariſienſis cujus conſenſu ad Hincmarum eſt miſſum opuſculum: uti patet ex libro ejuſdem Prudentij contra Scotum c. 11. nec enim niſi probaretur, Synodo permitteret mitti opuſculum: illud itaque tantam ſecum tot Epiſcoporum (unus & viginti fuerunt) authoritatem afferebat.

Hanc ſuo adjecto calculo ſententiam vir graviſſimus Lupus Seruatus confirmavit: nam etſi libro de tribus

bus quæſtionibus. q. 3. *de ſanguinis Chriſti taxatione ſeu pretio* utranque ſententiam probabilem dicat, & utram ſequatur ambiguum ſe oſtendat, tamen in eam magis inclinat, quæ negat univerſalitam Redemptionis: ſed quod minus ibi quod ſentiat expoſuit, recurrendum eſt ad alios locos, in quibus definite ſententiam profert. Igitur in Epiſt. ad Carolum Regem. ſic ait.

Poſtremò quos redemit Dominus ſanguine ſuo, Evangelica lectione colligitur. Apud Mathæum, Bibite, inquit Dominus, ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamēti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Apud Marcum, hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti qui pro multis effundetur. Apud Lucam vero, hic eſt calix novum Teſtamentum in ſanguine meo qui pro vobis fundetur. Duo ergo Evang. ponunt pro multis; unus, pro vobis; quia & Diſcipuli multis annumerantur; nullus pro omnibus; & ne id ego temere ſcrutatus exiſtimer S. Jerominus explanans locum Evangelij, ſicut filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Quando inquit formam ſerui accepit, ut pro mundo ſanguinem funderet & non dixit, dare animam ſuam Redemptionem pro omnibus, ſed pro multis. id eſt pro his qui credere voluerint. Qua expoſitione juxta fidem Catholicam docuit ſolos fideles eſſe intelligendos ſive in gratia permanſuros, ſive ab ea ſuo vitio receſſuros. Item B. Auguſt. aperiens populo ſententiam Evangelij, vos non creditis quia non eſtis ex ovibus meis; quomodo ait iſtis dixit: non eſtis ex ovibus meis? quia videbat

eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos. His tam claris luminibus doctrinam ſuam Evangelico ſenſu roborantibus qui audeant contradicere, niſi qui non erubeſcunt ſine luminibus apparere? Ut pace tamen & Reverentia tanti viri dictum ſit, hunc intellectum Evangelico fonte manantem non videns Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus cum exponeret illud Apoſtoli qualiter gratia Dei pro omnibus guſtaverit mortem, non pro fidelibus tantum, inquit, ſed pro mundo Univerſo: & ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt: quid autem ſi non omnes credunt? ille quod ſuum erat implevit.

Verum cur hoc ſenſerit nullo divino teſtimonio comprobavit. Quod ſiquis excellentiæ culminis veſtri oſtendit aut oſtenderit Fauſtum quendam de his longe diverſa ſcribentem, ne acquieveritis erranti: quoniam doctus Papa Gelaſius cum ſeptuaginta Epiſcopis viris eruditiſſimis qui ſcriptores eſſent, vel non eſſent recipiendi ſtatuens, poſt commendationem Auguſtini; & ſingulares laudes Hieronymi: memorati Fauſti ſcripta his verbis exauctorauit. Opuſcula Fauſti Regienſis Galli Apocrypha. Hanc fidem quam expreſſi in ſupradictis quæſtionibus tenuerunt Eccleſiæ Catholicæ invictiſſimi defenſores: hanc ego minimus omnium cuſtodio: hanc volentibus abſque invidia oſtendo, nolentibus meæ mediocritatis conſcius non ingero. Nec (ut quidam ſuſpicari ſe ſimulant) inaniter, hoc eſt vanæ gloriæ ſtudio cupio innoteſcere; cum terreat me plurimum illa de Scribis & Phariſæis Domini ſententia, omnia

nia opera ſua faciunt ut videantur abhominibus, & de Hypocritis : Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam : ſed aſſerendæ veritatis intuitu quod in Divinis authoritatibus, earumq; ſenſus ſequentibus præcellentiſſimis authoribus Deo inſpirante deprehendi querenti bus abſque contentione manifeſto. Veſtræ igitur opinatiſſimæ prudentiæ ſi jam ſatisfactum eſt gaudeo, ſin autem ; vel nunc, vel cum Deus noſter optatam vobis quietem contulerit, propter alia etiam negotia Eccleſiaſtica evocatis ad Conventum doctioribus quibuſq; recte, perperamue ſentiam, ſubtilior plurium tractatus poterit invenire.

Ex quo manifeſtè patet Lupum Servatum Servatoris mortem ad ſolos Fideles ſive juſtos ſive injuſtos, ſeu Prædeſtinatos ſeu Reprobos reſtrinxiſſe, nequaquam vero eam ad Infideles extendiſſe, quæ fuit Eccleſiæ Lugdunenſis ſententia. Quid nim clarius quàm illud: *Docuit ſolos Fideles eſſe intelligendos, ſive in Gratia pei manſuros, ſive ab ea ſuo vitio receſſuros.* Quod autem antea libro de tribus quæſtionibus dubium, & ad Chryſoſtomi authoritatem timidum ſe oſtenderat, idcirco fuit quia viſus fuerat ad ſolos duntaxat Prædeſtinatos ſanguinem Chriſti reduxiſſe : nec eum cum reprobis communicaſſe : quod durum erat, ac erroneum : & à Chryſoſtomi ſenſu alienum. Nunc vero conſtituto & aſſerto Omnes Fideles ad eum ſanguinem pertinere, nil eſt quod timeat negare Infideles ab eo excludi : nec ſi id Chryſoſtomus aſſerere voluit, prorſus deſerere,

Ejuſdem placiti author eſt Amolo Epiſt. ad Gotteſchalcum, in qua affictos ei errores impugnat, & veras illius

illius ſententias confirmat. Ita enim ſect. 4. ubi refutat illam propoſitionem, quam Gotteſchalci eſſe putabat. *Neminem perire poſſe, Chriſti Sanguine redemptum* in cujus ſecunda impugnatione inquit. *Si non credis omnes qui vera fide & devotione per Baptiſmi gratiam regenerantur Chriſti eſſe ſanguine redemptos: imo in Chriſti morte & ſanguine baptizatos licet plurimi poſtea ex eis vel per hæreſes, vel per alia deverſa crimina pereant, manifeſtè contrarium eſt Beato Paulo Apoſtolo,* &c. Ac concludit. *Itaque juxta Fidem Catholicam & Apoſtolicam Propheticam & Evangelicam omnes iſti fideliter ad Baptiſmum Chriſti accedentes non utique alio pretio, ſed Chriſti ſanguine redempti ſunt.* Idem perſequitur ſect. 6. & 7. ejuſdem Epiſtolæ. Quæ omnino eſt doctrina paulo poſt tradita ab ejus Succeſſore Remigio & Concilio Lugdunenſi, ut Chriſtus pro omnibus omnino Fidelibus ſit mortuus non Prædeſtinatis duntaxat, ſed etiam Reprobis. De Infidelibus vero ne verbum quidem reperire eſt. Unde videntur de his ſenſiſſe ab illo beneficio & Gratia eſſe excluſos: nam ni eſſent eorum certe, uti par erat, meminiſſent.

In Ratramno Corbeienſi Monacho eruditiſſimo vero (quales ea tunc & omnis ante acta & poſt futura ad noſtra uſque Benedictinos tulit ætas) ea diſtinctè ſententia non reperitur, tamen in duobus locis apparet eum cum Auguſtino, quem cum Iſidoro citat, multos à Gratiæ communione excludere. Nam libro 1. de Prædeſtin. *Item quod aliis detur Fides qua ſalvantur, & aliis non detur, non eſſe diſcutiendum in eodem libro* (id eſt Auguſtini de Prædeſt. Sanct.) & addit *Fides & inchoata & perfecta Donum Dei eſt. Et hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam*

quibuſdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis Sacris litteris repugnare. Quæ ſunt verba Auguſtini eod. lib. c. 9. Clariſſime lib. 2. propoſita de Gemina Prædeſt. ſententiâ ſic. *Eis*, inquit, *muneris hujus ideſt Gratiæ donum abſcondit quos diſpoſitio ſuperni judicis in ſuis relinquere pravitatibus decrevit. Etenim dum unusquiſque non ſui merito, ſed divinâ Gratiâ ad bonum de malo convertitur, ille tantummodo Gratiâ prævenitur, quem cæleſte judicium ſtatuit præveniendum.* Id vero ex Iſidoro probat.

Eadem ratione citare poſſumus Florum Magiſtrum & Eccleſiam Lugdunenſem dum adverſus Joannem Scotum Erigenam c. 18. docet Infideles *derelictos eſſe: nec in ijs habitare Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctũ.* Ita ut quicunque nono illo ſeculo rectè de Gratia ſenſerunt ij eandem circumſcripſerint, ne ad omnes pervaderet, hoc eſt Infideles. Hanc autem doctrinam Patrum Concilij Valentini ac ſecundum illud Lingonenſis non aut ego ſolus, aut ante me Gilbertus Mauguinus cenſuerat: ſed multo ante tradiderat vir Doctiſſimus Eſtius in Comment. in 2 Petr. 2. 1. ſuper illis verbis: *Et eum qui emit eos, Dominum negant.* Cujus hæc eſt ſententia. *Ex hoc benè colligitur Chriſtum redemiſſe quoſdam Reprobos, nimirum illos qui Redemptionis ejus ſecundum aliquos effectus facti ſunt participes: cujuſmodi erant hi de quibus Petrus loquitur, ut pote per Fidem in Baptiſmo regenerati & peccatorũ veniam conſecuti, licet poſtea in veterem peccati ſervitutem relapſi. Quæ eadem doctrina eſt Concilii Valentini ante annos penè 800. in Galliis habiti. C. 5. affirmantis Chriſti Redemptionem ad eos pertinere, qui etſi non ſalventur quia non perſeverãt, Baptiſmo tamen regenerati fuerunt, & in ſanguine*

Chriſti

Christi à peccatis suis ablati. Sed ne hinc colligas ad omnes omnino homines effectum Redemptionis extendi, quod in eodem Concilio Can 4. negatur. Non adhibuit syncerus Doctor illam distinctionem Sufficientiæ & Efficaciæ quoad Infideles, quemadmodum du Vallius quam citavi, & Moraines quem nunc cito d. 26. s. 6. n. 49. adhibent cum tamen maximè Scholasticus esset, cujus ego ijs interim judicium, dum id non tracto accuratius oppono: nec non Clarissimi Theologi Joannis Maldonati Jesuitæ qui etsi in communi eorum sententia sit Prædestinatianos hæreticos fuisse eosque negasse Christi universalem Redemptionem, ac pro eo citet Faustum, & Arnobium: & nescio quo jure Remigium ait de eo tamen. *Remegius in lib. contra tres Epistolas trium Episcoporum Galliæ videtur in eandem* Prædestinatianorum *ire sententiam*, nec ad eum liberandum utitur distinctione Auxilij Sufficientis & Efficacis quam statim infert. Eum tamen Authorem, & Annatum, & Thomam Augustinum paulo post vadabimur, cum de judicio Estij & Suarij instituemus quæstionem.

Unum hic citare nobilem Authorem volo, qui Gratiam Sufficientem communem omnibus apertè negat. Is est Cæsar Vaninus in suis Exercitat. Exerc. 16. in qua disputans de loco Pauli. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, & improbans voluntatem Complacentiæ sic. ait *Multo minus mihi arridet, quando nec in Sacro Codice, nec in Generali Ecclesiæ Concilio, Pontificio ve Decreto ullo definita reperitur illorum Sententia: Deum largiri omnibus Gratiam Sufficientem ad salutem.* Idque multis argumentis deinde confirmat: ac de Infidelibus præcipue & Infantibus in uteris

uteris matrum extinctis loquitur. Quæ nos interim momenta rationum infra expendemus. De Gregorio Ariminensi nemo dubitat, quin Sufficientis Gratiæ Auxilium patere omnibus denegarit in 1. d. 46. q. 1. ad 3. id que tam perspicuè, ut de eo Du Vallius qui universalis Gratiæ acerrimus vindex esse vult, vel inuitus dixerit. Omnes Scholasticos in aliâ esse sententia *Unico excepto Gregorio Ariminensi.* In notis ad lib. de Grat. Epist. Sanè eum ita sensisse jure: Unicum ita sensisse injuria dixit. Nam gravissimus Theologus P. Suarez tomo 2. l. 4. c. 13. ait Modernos aliquot Thomistas adversus Molinā asserere *nec Deum promisisse Infidelibus etiam Facientibus quod in se est per vires naturæ Gratiam Sufficientem, nec ullam de ea legem à Christo statutam: imo Deum suâ voluntate multis non dare taliá Auxiliá*: quod *exemplo parvulorum confirmant putentque eandem rationem esse de Adultis*: quos quanquam non nominet Suarez, credendum est extitisse ac in ea prorsus opinione fuisse.

Supersunt Parvuli: quorum duo authore Vasquio genera sunt. Alterum eorum qui baptizari potuerunt & Parentum negligentiâ mortui sine baptismo sunt. Alterum eorum quibus vel in utero mortuis, vel natis in media barbarie baptismus applicari non potuit. De primis ait Vasquez d. 96. c. 2. omnium Scholasticorum sententiam esse Auxilijs sufficientibus minimè caruisse. De secundis affirmat cum Gregorio Richardo, Gabriele D. Thom. Driedone, Dominico Soto ijs prorsus esse destitutos. Et quidem ita existimare debent omnes qui negant hujusmodi Auxilia Infidelibus quibus nunquam annunciata est Fides; nam multô major est

horum Infantium, qui eo modo pereunt, quam infidelium impotentia. Itaque P. Suarez qui hac de re longisfimam disputationem instituit tom. 2. de Grat. l. 4. per multa capita, vix de Infantum Auxiljs loqui audet: & quanquam asserat nemini ea denegari ne infantibus quidem, ita tamen hoc timide & obscurè dicit, ut ipse timor, et perplexitas argumento sit, eum non audere promere quid sentiat, quod contra videatur sentire. Quin. c. 10. n. 2. §. *Hæc ultima propositio* proposito exemplo Infantium argumentatur pro sententia negantium Auxilia sufficientia infidelibus quibusdam, & cum maxime urgeat argumentum, in ejus solutione adhibita n. 16. tam se remisse gerit, ut contentus negare assumptum, ne verbum quidem de eorum Auxiljs loquatur. Ex quo, qui rectè morem scribendi de re quacunque latissime Suarij novit, planè intelliget eum illi sententiæ non omnino acquievisse: atque adeo penè argumentando prævaricatum fuisse. Aliter se gesit Vasquez vir omnino integer ac severus, qui apertè fatetur hujusmodi Parvulos omni prorsus Auxiliorum genere destitui. In quam sententiam inclinat Dominicus Soto lib. de nat. & Grat c. 10. in fine, & mordicus tenet Cæsar Vaninus. Exercit. xvi. Ex Antiquis D. Thom. in 4. d. 6. q. 1. a. 1. q. 1. ad 1. Gregor. in 1. d. 46. q. 1. post med. Richard. a. 7. Gabr. in 4. d. 4. q. 2. a. 3. dub. 2. Driedo de cap. & redempt. Gener. hum. tract. 5. c. 3. eandem perspicuè tradunt: quam maximè probabilem authoritate & pondere rationum facit Vasquez. illâ d. 96. & ejus clarissima Schola Jesuitarum Complutensis, quæ Vasquij doctrinam jure amplectitur & defendit. In qua ego interdum

terdum hoſpes, cum ejuſdem Societatis eſſem, verſatus hoc didici à præſtantisſimis Magiſtris qui eum audierant, eique ſucceſſerant Turriano, Alarcone, Hurtado, Uſſone, & quem ego amavi & colui Salario, à quibus id accepi tum Compluti, tum Madritti in Collegio Imperiali: in quo octo pene annos ad illam Academiam novam & claram à Rege Philippo IV. operâ Comitis Olivaris inſtitutam inter præſtantisſimos ex omnibus Societatis Provincijs evocatos Magiſtros Rhetoricam adoleſcens triennium, deinde Chronologiam quadriennium ſum profeſſus: ubi ſæpe cum ſummis illis Theologis hiſce de rebus diſputavi, & quid Vaſques, quid ipſi ſentirent penitus agnovi. Itaque pro hujus partis probatione, Vaſquez & Complutenſis ejus domeſtica ſchola eſto.

Ad quæſtionem Univerſim propoſitam veniamus. Non dari omnibus & ſingulis hominibus Auxilium Sufficiens: ita ex Sacra Scripturâ probatur. Primo. Exod. 3. *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Quem locum citat Paulus juxta 70. ad Rom. 9. *Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor?* Nam ſi omnibus daret Gratiam Sufficientem omnium ſane miſereretur. Secundo Deuter. 4. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Nec enim alijs gentibus adeſſe dicit Deum, ſed Deos adeſſe: id eſt idola, ceu Deus eas deſeruiſſet. Ecquis enim dubitat ſi Auxilia haberent ſufficientia Deum illis appropinquare? cum non dicat Eos propinquare Deo, ſed Deum illis: ut acceſſus ſit Dei. Tertio eodem lib. c. 6.

Erit nostri misericors si custodierimus & fecerimus. In eodem cap. promittit deleturum omnes inimicos Populi sui, erga quos non dicit misericordem fore: neque sub conditione, uti dicit de Hebræis, quod signum est Auxilij sufficientis quod est posità conditione: igitur alij Populi eo carebant: nam nisi caruissent, eadem de illis ratio haberetur. Huc pertinet totum caput 7. inquo Moses Populum suum à cæteris ita distinguit, ut alios abjectos, & exosos Deo manifeste confirmet. Hinc illud: *nec misereberis eorum et illud Populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram*: & aliud. *Non parcet eis oculus tuus. Deus magnus conteret nationes has. Non assumas ex eis tibi quidquam ne offendas: propterea quod abominatio est Domini Dei tui.* Nescio quî cum tanta inæqualitate populorum quorũ unus amatur, alter odio habetur Auxilij communis ratio stare possit? cum Auxilia sufficientia ex æquitate statuantur, & ad observandã æquitatem dari dicantur. Huc faciunt quæ habentur sequentibus capitibus usque ad ca. 15 & c. 23. & 25. & Josue cap. 2. & 9, 10. & 11. & 12. & Judic. 1. 2. & 3. & 1 Reg. 5, 6. & 7. & l. 3. c. 8. & 10. Quartò locus ille Esdræ c. 3. rem continet: *In æternum misericordia ejus super Israel.* Circumscribitur misericordia Gratiæ Fons, & contrahitur quodammodo ad Hebræos, perinde alij populi excluderentur: non omnino, nam aliqui vocabantur. Certe si Gratiæ Dei participes essent omnes aliæ nationes non tam contaminarentur eorum conjugiis Hebræi, ut Esdras id tantopere detestaretur, & ij qui uxores duxerant eas dimittere cogerentur. ib. c. ultimo: nec è medio

dio Gentium erueret eos Domiuus & in Judæam reduceret: nec se ab ijs Electus ille Populus in jejunio & facco separasset. 2. Esd. 9. & 13.

Quintò. Libro Tobiæ c. 8. Oraculum habemus ore Tobiæ Junioris *Filii sanctorum sumus, et non possumus ita coniungi sicut gentes quæ ignorant Deum.* Ceu aliæ fide carerent, quæ est Ostium Gratiæ; atque adeo Sanctitatis apud ipsos locus non esset, nec sancti purique connubij. Cui sententiæ consonat illa Senioris Tobiæ c. 13. non minoris momenti: *Ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut enarretis mirabilia eius.* Certè qui Deum ignorabant, ijs Auxilium Sufficiens minime suppetebat, nisi quibus Fides ab ijs qui ex electo erant populo annunciabatur. Confirmatur hæc sententia ex ijs quæ sunt lib. Judith c. 4. ubi Gentes appellantur *Exterminium* & qui ad eos abducendi sint, dicuntur ire in *Pollutionem.* Quid Sufficientis Gratiæ erat ijs, qui c. 5. adversus Achior dicebant *Nebuchodonozor Deus terræ est, et præter ipsum alius non est.* & c. 6. *Non est Deus nisi Nabuchodonosar* quod probant ille voces Oziæ, & Ecclesiæ Bethuliæ ad Deum *Noli tradere confitentes te populo qui ignorat te, ut non dicant inter Gentes Ubi est Deus eorum* cap. 7.

Sexto. Davidis ille versus Psal. 13. *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt*, quî Gratiæ Sufficientis Adjutorium ferre intellectus potest? cum præsertim sequatur. *Non est qui faciat bonum, non est ad usque unum.* Profectò enim aliquis faceret, si ei illud adjutorium suppeditaretur. Quin & ille Psal. 58. valde remotus est ab Universali hac, & omnibus parata Gratia. *Intende ad visitandas omnes gentes: non misereris omnibus qui operantur iniquita-*

iniquitatem & paulo inferior. *Et tu Domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.* Nam ſi hæ derelictæ non eſſent, & abjectæ, næ injuſtus eſſet David, qui peteret à Deo *ne iis misereretur.* Nec vero ad Peccata earum actualia recurrendum eſt, cum non omnes gentes gravius peccarent Judæis, & inter eas multi eſſent Pueri & Puellæ bene morati, & homines honeſti ac frugi: quorum tamen David nullam habuit rationem. Pulchrè item in hanc rem trahitur illud Pſal. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinavit ex hoc in hoc: bibent omnes Peccatores terræ.* Etenim Calix Myſterium eſt Prædeſtinationis vini meri miſecordiæ, mixti judicio. Ex quo in hunc & hunc, ideſt paucos electos, quod eſt Miſericordiæ liquoris infunditur. Fæces autem ad alios plurimos, qui ſunt Reprobi reſeruantur ut ex eo bibant judicium juxta Pauli 1. ad Corinth. 11. phraſin *Judicium ſibi manducat & bibit.* Huic concinit ille alter verſiculus, Pſal. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in Regna quæ nomen tuum non invocaverunt* Hæ nimirum ſunt quæ fæcibus hauriendis deſtinabantur juſto judicio Dei, ut ſolet Auguſtinus dicere, ſed occulto, quemadmodum poſtea explanabimus.

Septimo. Adducam idoneum teſtimonium ex cap. Sapient. 3. ubi de hominibus qui *a Deo receſſerunt* ſic. *Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu & inutilia opera eorum. Maledicta creatura eorum, quoniam felix eſt ſterilis.* An hoc Spiritus Sanctus diceret, de ijs quibus ſufficit Auxilia Gratiæ Sufficientis, quoſque ſplendoris ſui radij illuminat & fovet ? ut Lucinæ opem ijs deneget, & ſterili-

ſterilitatem in parte felicitatis ponat? & ſi quis in lucem fœtus exeat, eum diris inſectetur? Hi nimirum ſunt, qui cap. 5. clamant. *Ergo erravimus à via veritatis: & juſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Per quas igitur rimas ad eos Sufficientis Gratiæ peruaſit? qui ne primis quidem *orientis ſolis equis* afflati ſunt. Imo â quibus tam averſi, ut minime ſonitum Cælis currûs audierint, nec impreſſæ orbitæ ſigna viderint. Ecquis neget erraſſe illos *Deos æſtimantes hæc quæ in animalibus ſunt ſupervacua infantium inſenſatorum more viventes. Propter hoc tanquam pueris inſenſatis judicium in deriſum dediſti.* cap. 12. Qui ejuſmodi ſunt, quia ut habetur c. 14. *Idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium & finis.* Quot autem colunt idola! qui eam ſuperſtitionem à Parentibus accaperunt, & acceptam retinuerunt, nec unquam de Deo Uno, ne dum Trino, & Chriſto Redemptore quicquam audierunt?

Octavò. In libro Eccleſiaſtici locus eſt geminus loli Pauli ad Rom. 9. de Figulo, quo maxime nititur Gratiæ Univerſalis negatio. Ait enim cap. 33. *Omnes homines de ſolo, et ex terra unde creatus eſt Adam: In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit eos, et immutavit vias eorum. Ex ipſis benedixit, et exaltavit, et ex ipſis ſanctificavit, et ad ſe applicavit: et ex ipſis maledixit, et humiliavit, et convertit ipſos à ſeparatione ipſorum. Quaſi Lutum Figuli in manu ipſius plaſmare illud et diſponere. Omnes viæ ejus ſecundum diſpoſitionem eius: ſic homo in manu illius.* Annon ex his colligitur Deum ex Maſſa damnata facere Vaſa quædam in honorem, quædam in vituperium? Miſericorditer & juſtè, quòd ex omnibus damnatis elegit quos

quos voluit, cæteros in ſtatu damnationis dereliquit? Nonne id eſt *Ex ipſis benedixit, & ex ipſis maledixit* & illud *Omnes viæ ejus ſecundum diſpoſitionem ejus*, non quòd Author ſit Peccati (quod fieri nequit) ſed quòd dimiſit eos in ſtatu Originalis, quod contraxerant.

Nonô. Apud Iſaiam: Etſi illa comminatio *Indignatio Domini ſuper omnes gentes, & furor ſuper Univerſam militiam eorum* cap. 34. temporalis videatur: ſpectato tamen Prophetæ ſtylo, & ſequentibus: *Orientur in Domibus ejus ſpinæ, & urticæ, & paſturus in munitionibus eius, & erit cubile Draconum & Paſcua ſtrutbionum* ſpiritualia damna ſignificant abjectarum à Deo Gentium, & ob Peccati contagia derelictarum. Ad has pertinet illud cap. 46. *Anima eorum in captivitatem ibit*: quæ per peccatum incurritur, abſque Gratiæ libertate. Jam vero id quàm perſpicue dictum c. 65. *Quæſierunt me qui antè non interrogabant: inveneruut, qui non quæſierunt me: dixi: Ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen meum* cum reliquis ad medium capitis, nam ſi non interrogabant, nec quærebant, nec invocabant, certè nam credebanr; quòd ſi non credebant, nec audierant, nec Prædicatores habuerant. Quomodo ergo habuiſſent Gratiam Sufficientem?

Decimo. Jeremiæ concio c. 10. hujuſmodi documentis abundat. Unum eſto pro multis *juxta vias gentium nolite diſcere*: & mox *leges populorum vanæ ſunt.* Idcirco nempe, quia vacuæ Gratiâ. Facit exemplum Figuli ex cap. 18. His adnumerandi illi de quibus Baruch. c. 3. *Non hos elegit* Dominus, *neque viam diſciplinæ invenerunt propterea perierunt.*

Undecimo

Undecimo. Apud Mathæum insignis est locus c. 10. Ait enim Christus Apostolis. In viam *gentium ne abieritis: & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Sed potius ite ad oves quæ perierunt Domus Israel.* Cui respondet locus Act. 16. ubi Paulo Asiam & Bythiniam cogitanti *Visio per noctem ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans et deprecans eū, et dicens Transiens in Macedoniā adiuva nos.* Subjungit autem Textus: *statim quæsivimus proficisci in Macedoniam certi facti, quòd vocasset nos Deus Evangelizare eis.* Ex quibus locis constat Deum quasdam gentes vocare ad Fidem uelle potius quam alias, imo alias vocare nolle, cum averterit à Samaritanis, & Bythinis Prædicatores, eosdemque ad Judæos, Macedonasq; converterit. Fidem verò esse ostium Gratiæ, Prædicationem ad illud ostium viam compertum est, juxta Paulum ad Roman. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Unde Lucæ 7. Christus ipse *Rogate ergo Dominū messis ut mittat operarios in messē suā.* Qua ratione igitur Spiritus Sanctus, qui est Gratiæ, eam iis communicari voluit, quibus prædicationem subtraxit? Ecce enim illo eodem capite 16. Actor. n. 6. dicitur: *Vetiti sunt* Paulus & Timotheus *à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. Tentabant ire in Bythiniā, & non permisit eos Spiritus JESV.* Quorum tanta vis est locorum, ut cum eos Suarez tom. 2. l. 4. c. 11. pro contraria suæ sententia citasset eos nullatenus, aut exposuit, aut emollivit. Huic adiungendus alius Matthæi c. 11. n. 25. *Abscondisti hæc à Sapientibus & Prudentibus & revelasti ea parvulis.* Ita Pater *quoniam sic placitum fuit ante te.* Et ille Pauli 1 Cor. 1. n. 26. *Videte vocationem*

cationem vestram, quia non multi sapientes secundem carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, &c. In quibus negatur prædicatio & vocatio unis, & conceditur alteris.

Duodecimo. Quæ in Joanne Christus de Ovibus suis c. 10. *quas cognoscere*, & à quibus *cognosci* dicit. & quæ c. 12. de Excæcatis & induratis commemorat Joannes, magnum pondus ad hanc veritatem probandam habent: nec minus illa quæ de Spiritu Sancto a Christo referuntur c. 14. nempe *quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum.* Nam qui nec videt, nec scit, ille omni lumine destituitur. Cujusmodi sunt illi de quibus c. 15. *Nesciunt eum qui misit me.* Quod autem hi Auxilio Sufficienti caruerint, ex eo liquet quia de Judæis, quibus apparuit & prædicavit Christus, cum alijs non apparuerit, nec prædicaverit ipsemet dixit *Peccatum non haberent.* Quo carere non possent nisi Auxilio Sufficientis Gratiæ caruissent. Est vero maximè notandus ille locus cap. 16. ubi Christus ait: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Nam si omnes dati essent pro omnibus sane rogaret; & si omnibus daretur Gratia & Fides non diceret paulo post n. 20. *Et pro eis qui credituri sunt.* Erant autem multi non credituri de quibus *Mundus*, inquit *te non cognovit* quemadmodum c. 1. dixerat *Mundus eum non cognovit.* Quibus addenda illa testimonia. Actor. c. 1. 4. n. 15. & c. 17. n. 30. *In præteritis generationibus dimisit omnes ingredi vias suas.* & *Tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus.* Quibus illa derelictio Reproborum, & oblivio & quasi neglectus eorum perspicuis verbis traditur: de quo multus solet esse Augustinus. Ter-

Tertiodecimo. Caput 9. ad Roman. totum hujuſce doctrinæ theſaurus eſt. Illud enim *Jacob dilexit, Eſau autem odio habuit.* Quem alium ſenſum habet? Nam ſive primarius ſit ſpiritualis, uti volunt Auguſtinus & Patres teſte Vaſq. 1. p. d. 95. c. 8. n. 42. Sive ſecundarius negandum non eſt de Reprobatione, aut rectâ, aut obliquè intelligendum, ut idemmet. Vaſquez fatetur, n. 46. qua ratione autem qui odio habitus eſt ad Gratiam ſit vocatus, ægre percipi poteſt. Itaque quod ſequitur. *Non eſt volentis neque currentis. Cujus miſeretur & quem vult indurat. O homo tu quis es qui reſpondeas Deo. Annon habet poteſtatem Figulus lutiex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam*: & alia ad judicium Dei *Deſerentis* & derelinquentis in Maſſa damnata quos voluit, pertinent. Etenim niſi hæc eſſet à Deo in eodem ſtatu peccati facta diſcretio, & omnes eſſent eodem modo, quantū ex parte Dei eſt, vocati ad judicia divina Paulus non confugiſſet? cum à noſtris eſſet ratio diſcretiva, atque adeo ad noſtras omnino actiones provocandum. Huic reſpondet bona pars capitis 10. ab eo loco *Quomodo invocabūt in quem non crediderunt?* uſque ad finem. Jam verò illa clauſula cap. 11. manifeſtum eſt hujuſce veritatis documentum. *O altitudo divitiarum*, &c. Accedit momentum ex cap. 12. *Scitis quoniā cum gentes eſſetis ad ſimulachra muta prout ducebamini euntes.* Eſto autem hujuſce ex Paulo ratiocinationis teſtimonium illud. *Non omniū eſt Fides* aptiſſima Coronis: cum illud maximè emineat, & illuſtre ſit hujuſce, quam oſtendimus, veritatis documentum.

Quart. Petri autoritate item ſuadetur. Ait enim Epiſt.

piſt. 1. c. 2. *Aliquando non populus, nunc autem Populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.* Si non populus quomodo gratioſus? & ſi poſtea Populus, quomodo tam a ſe diverſus eſſe potuit, niſi operâ Gratiæ qua carebat? Exiſtimo autem qui miſericordiam conſecuti non ſunt, eos nec Gratiam conſecutos. Hi nimirum ſunt de quibus Joannes Epiſt. 1. c. 3. n. 1. *Mundus non non novit nos: quia non novit eum.* In tenebris ergo conſtituti quî lucem aſpiciant veritatis? Cum præſertim *omne quod eſt* in mundo *ſit Concupiſcentia carnis, Concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt à Patre* ib. c. 2. n. 16. Unde apparet multis obrutos ijs uitijs vix poſſe mentem *tollere humo* & radios Divini luminis haurire: id quod his & alijs quibus ſuperſedeo Scripturarum locis comprobatur.

Ad Argumenta veniamus. Ea verò non ratione naturali, ſed Fidei principijs nituntur. Primum eſt. Supposito Peccato Originali omnes omnino homines Gratiâ privati ſunt: Deus non liberat omnes à Peccato Originali, ergo non omnes Gratiâ donat. Major eſt certiſſima: nam Peccatum illud vel eſt ipſa privatio Gratiæ, vel quid involuens ipſam. Minor probatur experientiâ. Etenim Infantes in uteris matrum mortui, & in media barbarie recens editi, ac immaturâ morte præripti, ac multi alij adulti in Peccato Originari decedunt: ergo hi omnes Gratia privantur. Reſpondent Ita eſſe, ſed negant defuiſſe media Sufficientia ad illud Peccatum Originale tollendum: atque adeo affirmant ad baptiſmum ſufficiens Auxilium habuiſſe. Quod ſatis eſt ad habendam Gratiam Sufficientem. Sed contrâ. Nam

Baptiſmus

Baptiſmus ijs, de quibus agit argumentum, actu applicari non potuit: undecunq; tandem id impedimentum provenerit. Nam quomodo non dum natus Infans baptizari potuit, aut ille cujus Parentes de baptiſmo nihil audierunt? Igitur medium Sufficiens non habuerunt. Reponunt. Eos in cauſis univerſalibus illud Remedium habuiſſe: proindeque Deum quantum eſt ex ſe ijs ſatis providiſſe. Refutantur. Quia Providentia Divina eſt de ſingularibus, & exactiſſima, & causas univerſales diſponit, explicatque in actum, & applicat ad ſingularia hic & nunc: igitur non ſatis eſt ad rationem Providentiæ ſiſtere in cauſis Univerſalibus: ſed opus eſt ad particulares deſcendere, eaſque explicatas individuis applicare. Niſi velimus involutum & confuſum Providentiæ genus Deo tribuere, & explicitum & clarum creaturis relinquere. Sed hæc iterum latius paulo poſt tractabimus.

Secundum eſto. Conſtat peccatum Originale ab omnibus, contrahi & conſtat illud vel eſſe, vel afferre privationem Gratiæ, non autem conſtat eo manente, quòd omnibus Gratia offeratur, quacum ipſum non poteſt componi. Confirmatur, quia ineptum quiddam videtur inducere privationem, & omnibus parare formam: cum multo ſatius eſſet Peccatum avertere, & privationem auferre. Equius ſane foret omnes liberare, quam poſt quam iniecta ſunt vincula ijs libertatem offerre. Aiunt. Chriſtum omnes omnino redemiſſe, & omnibus gratiam meruiſſe, ac de eo cum Æterno Patre pactum ſuo ſanguine in pretium dato injiſſe. Verum: lectâ intentiſſimè ſacrâ Pagina hujuſmodi pactum nuſquam

quam occurrit, imo ex Evangelio & alijs locis utriuſq; Teſtamenti conſtat Chriſtum à Patre accepiſſe formam, rationemq; Redimendi, nec Dei voluntatem pacto aſtrictam Chriſto ſe homini addixiſſe, imo potius Chriſtum hominem voluntati ſe Divinæ ſubdidiſſe, quemadmodum ille ſæpe in Evangelio teſtatur. Qua de re infra exactius in argumentorum ſolutione. Non negat argumentum Chriſtum Redemptorem omnium eſſe: nam id conſtat: ſed negat ex eo ſequi omnibus omnino hominibus Gratiam actu conferri, vel offerri, uti explicabimus.

Tertium ſit. Gratia eſt donum Dei liberum & gratuitum. Hujuſmodi autem non eſſet, ſi omnibus prorſus daretur. Ergo non omnibus datur. Major certa eſt. Minor probatur: quia ſi omnibus daretur, eſſet ex aliquo pacto, vel ex aliqua æquitate. Utrunque autem eſt contra rationem doni gratuiti & liberi; nec evadet qui dicat Pactum cum Chriſto initum eſſe; nam ſive Chriſtus meruerit ex rigoroſa Juſtitia, ſive non, reſultat in Deo obligatio dandi Gratiam, vel ex juſtitia, vel ex æquitate: nec poteſt Deus ijs ſe vinculis exolvere: atque adeo gratia non erit liberum, nec gratuitum donum. Quod autem â Chriſto ſint Vincula obligationis, id proficiet ut ſint aurea, non tollet tamen quominus, vincula ſint. Puto autem, etſi ad ſpeciem aliquantum inter aureos & ferreos compedes interſit, ad nexum tamen nihil intereſſe.

Quartum ſic habet. Ratio gratiæ oppoſita eſt naturæ: eâque ſuperior: ſed quæ communis eſt omnibus naturæ ſe accommodat, eique ſubjicitur, igitur non debet

bet omnibus esse communis. Propositio manifesta est: Assumptio probatur: quia idcirco Gratia inducitur Universalis, ut nemo sit rationalis naturæ qui eà non fruatur: videtur quippe absurdum, ut qui homo sit ratione præditus, is Gratiâ destituatur: quod quidem est facere Gratiam similem & simiam naturæ: imo & illam ratione naturali metiri; nam hic modus inducendi Gratiam communem naturali ratiocinatione nititur; quod item alienum est á Gratia supernaturali, quæ uti naturam excedit, ita & rationem superat, & solius Dei donum est, à quo pro libitu distribuitur. Unde quod hic modus dandi gratiam omnibus naturæ consentaneus videatur, abhorret ab ipsius gratiæ, quæ omnino supernaturalis est, ratione.

Quintum. Si gratia omnibus datur, & quantum est ex parte Dei nemini deest, & ex bono ejus usu a Deo præviso sumitur differentia electionis, nihil relinquitur judicijs Dei, aut colendum, aut timendum: & tota ratio Prædestinationis & gratiæ ratione naturali optimè percipitur. Cum si cur hic damnetur, ille non damnetut inquiratur, ratio provenit ex defectu cooperationis nostræ, id que semper est in nostra potestate, frustra ad profunditatem judiciorum divinorum confugimus cum ratio sit in promptu, cur hic salvetur, ille pereat: nec solum in promptu sed etiam intra nos sit.

Sextum ita formatur. Ideo gratia communis ponitur, ut ne iniquus sit Deus gratiam quibusdam negando, & ut nobis culpa imputetur nostræ damnationis, sed major est aut certè non minor iniquitas datâ gratiâ ista communi: ergo restrictio gratiæ est ferenda. Probo

assump-

aſſumptum. Quia acceptâ ab omnibus gratiâ ex bono uſu in congruis circumſtantijs eligit Deus unos præ alteris in quo eſt par ſaltem iniquitas. Id conſtat: nam etiam Deus videt conditionatè Reprobos in alijs circumſtantijs bene uſuros gratiâ, & Electos in alijs malè uſuros: dum igitur Deus vult hos præ illis in illa congruitate eligere, cum aliter poſſet facere, non ſervat debitam erga omnes æquitatem. Imo multò major iniquitas erit, ſi cum omnes rectè operaturi ſint in opportunis circumſtantijs, nolit Reprobos cùm bene operaturi ſunt eligere, ſed eos in tempora incongrua, cum malè ſunt operaturi reſervare: atque majorem ijs dat occaſionem querelæ, quàm daret ſi eos gratia deſtituiſſet, quæ non erat debita quia eſt Peccati originalis juſta pæna. Nam non datâ Gratiâ, queri non poſſent, quod erant indigni ob Peccatum commune: at donatâ omnibus (non obſtante Peccato) gratiâ, & operaturis ipſis in congrua opportunitate in qua poterant poni, videntes ſe ab ea deijci, & in non congrua vocari juſtiorem habent cauſam querelæ, & invidiæ erga alios, quos ſciunt ſi in alijs circumſtantijs vocarentur (id eſt non congruis) eſſe perituros. Quare quod horrent ad verſarij in negatione gratiæ non debitæ, ſi non ſit communis, majori jure horrere debent, in negatione congruitatis, jam ex Gratia juxta pactum debita operantibus. Hoc argumentum ſi attentè conſiderent Authores congruæ gratiæ minus, opinor, in hujus Authores ſententiæ invehentur.

CAP.

CAP. XI.

Varia & ſingularia argumenta proponuntur.

ET hæc quidem generalia argumenta ſufficiant. Nunc ad ſpecialia deſignatis certis Perſonarum generibus deſcendamus: etſi jam in generalibus aliquid obiter dixerimus. Ac primum: Infantes eos, qui intra materiorum viſcerum anguſtias mortui vel apud Barbaros, ubi nulla eſt Baptiſmi notitia acerbo fato perempti ſunt nullo ſufficientis Gratiæ auxilio adjutos eſſe, certum quidem conſtanſque videtur. Nam ſolus Baptiſmus infantibus (Martyrium excipio) unicum eſt medium ſalutis, uti contra Caret, & Gabrielem probat Vaſquez, i. p. d. 96. c. 1. n. 1. & docet Maldonatus in Joannem, c. 1. n. 9. & Cæſar Vanin. Exercit. 16. & Authores qui de ſacramentis ſcripſerunt. Quod cum ita ſit, quibus ille applicari non potuit, habere ij ſufficiens auxilium non potuerunt. Nec valet quicquam dicere: Deum providiſſe remedium inſtituto Baptiſmo, atque adeo Baptiſmum eſſe. Nam eſſe Remedium Baptiſmum, & eſſe Remedium, in mundo, non eſt dari nec applicari Remedium: Sed tantum eſſe Remedium: neque enim nos negamus eſſe vel dari in rerum natura, ut aiunt, auxilium ſufficiens;

sed quærimus: Utrum omnibus detur; seu communicetur, vel possit dari, vel communicari humano & ordinario modo. Id autem quî dici possit de Baptismo erga hos Infantes, quibus nullâ ratione applicari potest? Certe uti dicere non possumus illis Infantibus vitam dari cum moriuntur in uteris matrum ideo tantùm quia vita est: ita non possumus dicere ijs Baptismum dari, quia Baptismus est. Imo quia Baptismus est, nec potest applicari dicetur aptius ijs negari Baptismum quibus applicari non potuit. Nisi forte quia per divinam potentiam, & per miraculum baptizari possunt, Auxilium habent sufficiens. Quod ineptum prorsus judicandum. Huc recidit, quod objici solet de causis universalibus, quod proxime adduximus, & improbavimus. Nunc autem, Authore Suario, impugnemus. Hic ergo quanquam doceat Auxilium sufficiens nemini denegari, negat tamen satis ad id docendum esse, recurrere ad hos duos modos dicendi quos nunc retulimus: Nimirum; Quòd Deus Remedium instituerit, & quòd in causis universalibus obtulerit. Imo ait opus esse, ut applicetur, vel applicari possit modo ordinario, & in individuo. Ita tomo 2. de Grat. lib. 4. c. 10. à n. 6. ad 9. Quem suis postea verbis citabimus. Nunc pro hac de Infantibus sententia citare volo Magnum Theologum Vasquium, à quo est hujusmodi quam proposui sententia ad unguem tradita: & quoniam ille effugia omnia Recentiorum præcludit ejus doctrinam pro mea ingero: ut quicquid apud illum sit, apud me ratum sit. Igitur 1. p. d. 96. c. 2. a. n. 7. §. Ratione verò probatur, quoniam certum est, absque aliqua

liqua negligentia, & culpa parentum, aliquos parvulos, vi ſola naturæ in utero, aut extra, tam cito mori, ut nulla humana diligentia eis ſubveniri poſsit. Ubi ergo Deus eis providit remedia ſufficientia, quæ aliorum cura ipſis applicari poſſent? Dicunt adverſarij, in cauſis naturalibus, quæ ex ſe ſufficientes erant, ut parvuli in lucem ederentur, & baptiſma reciperent: at verò quia Deus permiſit, aliis contrariis cauſis eas impediri, ideo non potuerunt parvulis remedia prodeſſe, non quòd ex ſe Deus expreſsè voluerit applicationem remedij impedire. Ceterùm effugium hoc inutile eſt. Primùm quia licèt Deus ſolùm permiſiſſet partum infantium naturalibus cauſis impediri, hoc ſatis erat, ut diceremus remedia ſufficientia; quæ humana diligentia poſſent applicari, parvulis non concesſiſſe; quamvis expreſsè ea non negaſſet. Deinde quis audeat dicere, ordinem illum cauſarum, qui partum Infantis impedivit, vel in tali tempore, & loco natum interemit, non fuiſſe ſpeciatim, & minutim à Deo præſtitutum, & ordinatum? Nam ſi ex duobus paſſeribus, qui aſſe væneunt. *Unus ex illis non cadet in terram ſine Patre veſtro, Matthæi* 10. quis aſſerat, aliquos parvulos, aut in utero materno, aut extrà ſine Dei providentia ita ordinante interire? Cùm enim omium rerum, & eventuum præter peccatum Deus ſit auctor voluntate, & providentia ſua, negari nequit, mortem Infantis in utero, vel extrà, tali loco, & tempore ab eo fuiſſe præfinitam, non ſolùm permittente, & ſinente agere cauſas, ſed etiam ordinante, & volente. Quare non dubito, manifeſtè eos falli, qui hanc ſeriem cauſarum divinæ permiſsioni,

non voluntati, & ordinationi aſcribunt.

An verò prior fuerit in Deo voluntas negandi remedia, & ad hunc finem ordinem cauſarum diſpoſuerit, vel contrá, non multùm curo, dummodo concedant adverſarij, Deum expreſsè voluiſſe, parvulis quibuſdam negare remedia, quæ humana diligentia ipſis applicari, & prodeſſe poſſent: nihilominùs cenſeo, priorem fuiſſe voluntatem negandi remedia, & ad hoc cauſas naturales diſpoſuiſſe. Nam effectus ille comparatur ut finis, cujus voluntas prior eſſe debet. Cæterùm, ne aliqua ſequantur incommoda, meliùs eſt aſſerere, voluntatem illam negandi remedia ſolùm fuiſſe ſimplicis affectus, antequàm cauſas diſponeret, ſicut de voluntate rejiciendi hos parvulos à vita æterna diximus diſp. 95. c. 6.

Reſpondent alij, aliquibus parvulus abſque ulla culpa parentum, aut aliorum non potuiſſe remedia applicari, nihilominùs dicendum eſſe, Deum illis providiſſe ſufficientia quæ poſſent applicari: quia non applicari, pendet ſemper ex aliquo opere voluntario parentum, aut aliorum: etiamſi abſque ulla ipſorum culpa: ut quod mulier exeat domo, vel aliquid ſimile voluntariè faciat, quod ſi non faceret, remedia poſſent puero applicari. Denique quoties remedia applicari nequeunt, reducunt ſemper hanc impotentiam in aliquid voluntariè factum à parentibus, vel ab aliis. Verùm cùm Deus dicatur providiſſe remedia ſufficientia parvulis, quæ poſſent applicari, & hoc in cura aliorum, à quibus deberent applicari, certè non alia ratione parvulis hoc modo diceretur remedia ſufficientia providiſſe,

quæ

quæ applicari poſſent, niſi curæ, & ſollicitudini parentum ea commiſiſſet. Quis autem dicat, parentibus talia remedia eum commiſiſſe, ſi nulla humana providentia ipſi præcavere poſſunt immaturam mortem infantis, quæ abſque ulla ipſorum culpa contingit, ut in caſibus ab Auguſtino expreſsis : Parum ergo refert, ſi mulier prægnans domo liberè exeat, liberè etiam cubet cum parvulo in lecto, ſi poſteà cauſu quem prævidere non potuit, infans immaturè ſine baptiſmo moriatur, ut dicamus curæ ipſius, aut alterius remedium baptiſmi, qui applicari poſſet, fuiſſe commiſſum.

Accuratiſsimè & exactiſsime omnia perſecutur eſt Vaſquius : nec in eo aut ego, aut ullus alius, quod rem hanc attinet, quicquam deſideret. Brevius Cæſar Vaninus, ſed non jejuni. Exercit illâ ſuâ vi. Ut enim probet traditam à ſe doctrinam : Deum non dare, nec offerre omnibus Gratiam ſufficientem, utitur exemplo Parvulorum, quod præſentiſsimum eſt ad rem demonſtrandam argumentum. Itaque poſt longam ratiocinationem : *Ut paucis*, inquit, *abſolvam. Quomodo Deus præſidium ad ſalutem ſufficiens Infantibus in utero matris decedentibus ſuppeditat ? Gratia ſanè ſufficiens Baptiſmus eſt. At hic denegatur, & Fluminis, & Flaminis, & Sanguinis : ut recentiores loquuntur. Si autem Gratia ſufficiens Naturalis legis obſervandæ facultas eſt, non datur illa parvulo ſic intermorienti.*

Ex his corruunt illæ duæ ſolutiones, ſive tergiverſationes Adverſariorum, *Quantum in ſe eſt inſtitutis Remediis.* Et *In Cauſis univerſalibus ea obtuliſſe.* Cùm ubi non ſit modus ordinarius applicandi, non ſit ſatis

Auxili.

Auxilii. Nec hos duo ego tantum Patronos habeo, ſed ſummum quoque virum Suarium arceſſo: quem etſi videam acciſſare tamen conſentit. Nam lectis diligentiſſime quæ de hujuſmodi argumento latisſime diſputat, lib. 4. tom. 2. de Gratia. Invenio eum non contentum illis duobus effugiis, quæ etiam proponit. c. 10. ad ſuſtinendum dari Infidelibus omni fidei prædicatione deſtitutis Auxilium ſufficiens, modum alium inveſtigaſſe, quo in particulari iis & offerretur & applicaretur Auxilium: id vero eſt obſervatio legis naturalis juxta illud Axioma, *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat Auxilium.* Sano tamen & idoneo ſenſu expoſitum, quem modum a. c. 12. uſque ad 19. copioſè verſat, & tractat: eique omnino acquieſcit. Unde cum in Infantibus hic modus ob impotentiam eorum locum habere non poſſit, non eſt in Suarii ſententia locus Auxilio ſufficienti: nam alij eo authore uon ſufficiunt. Quòd ſi pro adultis non ſufficit eſſe illa Remedia à parte rei, & in cauſis univerſalibus contineri, minus ſufficient pro Infantibus qui nec ea noſcere nec quærere, nec capere potuerunt. Audiamus Suarium, c. 10. n. 8. §. *Hic modus.* Propoſito enim illo modo complexo nimirum ex duobus ait. *Non ſatisfacit ille modus explicandi Auxilium ſufficiens adultorum. Primo quia adulti ſunt capaces propriæ præparationis & diſpoſitionis ad participandam Chriſti Redemptionem, & peccati remiſſionem obtinendam; ergo in ſe ipſis debent aliquo modo recipere auxilium ſufficiens quo poſſint diſponi, alioqui qui non recipiunt in ſe hoc auxilium non ſunt liberi, nec in ſe poteſtatem habent ad conſequendam ſalutem. Ergo* PER ALIOS, VEL PER

PER SOLAS UNIVERSALES CAUSAS NON SATIS ILLIS ESSET PROVISUM. Et rursum in fine capitis n.10. Parag. Ratione. *Aliquo modo Deus illis*, id est, *Infidelibus contulit sufficientia media: At non contulit in solis causis Universalibus, nec solum per alios homines ut ostensum est, ergo necesse est ut illis in se ipsis Auxilium conferat, vel proximè, vel remotè, vel saltem in eorum potestate illud constituat, ut si contingat illud non recipere, re vera per illos stet, & non per Deum: nec solum per naturalem impotentiam id eveniat.* Si hoc verum est in adultis quoad fidei prædicationem cujus & sunt capaces, et quæ ad eos potest pervenire; quid de Infantibus dicendum, qui in eo statu quo diximus, nec sunt capaces Baptismi, nec iste iis potest ullo modo ordinario adhiberi? Unde constat eos omnino opinione Suarij distitui Auxilio sufficiente. Ac, ut ille, qua solet urbanitate velit hoc efficiosè præstare Infantibus, nec ausus sit quòd mitissimo est ingenio, clarè negare Auxilium, certè reapse concedere non potuit. Proindeque Timanthæo more quæstionem illam quibusdam integumentis involutam reliquit. Nam rem exprimendo: Infantibus illis eo tantùm modo Auxilia offeruntur qui maneat inter remedia in causis universalibus constituta: sed hic, Authore Suario, non est satis ad salvandum Auxilium sufficiens, uti videmus, & in Suario quilibet videre potest: ergo Infantes sufficienti Auxilio destituuntur. Itaque etsi Suarius à Vasquio videatur dissentire: in verbis aliquantum, in sensu nihil omnino dissentit: atque adeo duos Jesuiticæ Scholæ Principes hujusce sententiæ Patronos habeo.

Quod

Quod attinet Adultos. Qui venire poſſunt in quæſtionem ij in triplici differentia ſunt. Vel Fideles Indurati aſsiduitate peccandi; qui a Deo deſerti videntur. Vel Fideles alij Peccatores in certis temporibus, vel amentes, qui in ſtatu peccati mortalis mentis impotes facti ſunt. Vel infideles quibus nunquam annunciata eſt Fides, nec annunciari ſpectato naturalium rerum curſu potuit. De ſingulis dicendum. Primum. Induratis multi Auxilia denegant ſufficientia, quos ſupra citavimus. Verum exiſtimo eos Auxilis ſufficientibus non carere cum Vaſquio 1. p. d. 79. & Suario, to. 2. lib. 4. c. 10. ubi ſe ipſum citat tomo 4. de Pœnit. d. 8. Maldonato in Matth. c. 13. n. 13. & in Joannem. c. 12. n. 39. 40. Ægyd. Koninck. lib. de Sacram. Pœnit d. 2. dub. 1. Valent. quæſt. 3. de Grat. pu. 4. Zumel. 12. q. 79. a. 3. Lorca ibid. & q. 111. a. 3. diſp. 17. Cabrera. 3. p. q. 18. a. 4. diſp. 6. du. 3. ad 1. Moraines. d. 25. 5. 1. Duce D. Thoma. 3. p. q. 86. a. 1. & Alenſi 3. p. q. 69. memb. 5. 2. 4. & nos docuimus. tom. 1. tract. de Conſti Pontif. q. un a. 2. Et quidem duobus modis poteſt negari Gratia induratis, vel quia ſunt aliqua Peccata Irremiſſibilia, vel quia hi homines ita obdurantur, ut Deus eos omnino velit derelinquere: & nullam ijs Gratiam dare. Quos duos modos affert Suarius, & commemorat Vaſquius illa d. 97. Horum primus hæreis eſt; quam tenuit Armacan. l. 9. de quæſt Armen. q. 27. quam refellit D. Thomas. 3. p. q. 86. a. 1. & ex eo Domin. Soto. 1. de nat. eſt grat. c. 18. & Andr. Vega. lib. 13. ſup. Conc. Trident. c. 1. & ſequent. & Maldonat. c. 12. in Matt. n. 32. nec loci qui duo ſunt Alter. 1. Joan. 5. *Eſt peccatum*

ad

ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. & Matth. 12. *Non remittetur neque in hoc ſeculo neque in futuro.* Urgent. Si enim utrunque locum explicemus de peccato Impænitentiæ finalis cum Auguſtino l. 1. Retract. c. 19. & in Comment. in Epiſt. ad Roman. ad finem, & Epiſt. 50. & lib. 4. contra Creſcon. c. 8. & in Enchir. c. 83. nulla difficultas eſt.

Supereſt alter modus: Sed dicendum Deum quos Peccatores fideles ſemel ſua fide imbuit eos nunquam Gratiâ, quæ fidei comes eſt, deſtituere: nam dum fideles ſunt, intra Eccleſiam ſunt, atque adeo illuminantur & excitantur, & ſaltem per reminis centiam tranſactæ fidei memores eſſe poſſunt, & orare ac petere Gratiam: ac per orationem ulteriorem impetrare. Verum quidem eſt, iſtos peccatores induratos proximis ſæpe Auxiliis carere, & remotis tantum & remiſſis juvari, quæ tam ipſos leviter ac exiliter excitent, ut præ induratione vix ſatis ſint: & niſi intendantur à Deo minimè movebuntur. Ac idcirco videntur Auxiliis ſufficientibus carere: quòd his illi efficaciter non moventur. Imo P. Suarez ait c. illo 10. n. 8. *Poteſt Deus aliquos ita punire: & dubium eſt an interdum faciat.* Et D. Thomas egregie q. 3. de malo. a. 15. ad 3. *Sanatio talium eſt quaſi miraculoſa. Sicut ſi pro ſuſcitatione mortui*, &c. Verum Authore Auguſtino l. 1. Retract. c. 19. *De nullius ſalute deſperandum.* Ut enim inquit D. Thom. 3. p. q. 62. a. 6. ad 3. *Homines quandiu vivunt poſſunt ad fidem & charitatem converti: quia in hac vita non ſunt homines confirmati in bono, & in malo, ſicut poſt exitum ex hac vita.*

De Aliis adultis quæſtio eſt. An qui fideles ſunt ſem-

per habeant Gratiam ſufficientem, ita ut nullo momento iis deſit? Suarez tom. 2. libro 4. c. 10. Negat continué dari, et ſemper adeſſe: & pro hac ſententia citat Bellarm. l. de Grat. & lib. arbitrio. c. 6. & Molin. q. 14. a. 13. in Concord. d. 9. & 10. aitque experientiâ conſtare: & quanquam poſtea n. 5. videatur concedere ſibi non adverſatur, ſolum enim docet. Deum non denegare proprié Auxilia, ſed non dare, ut modeſtius loquatur. Id vero affirmat Deum temporibus opportunis concedere: in ijs autem aſſignandis multus eſt; aſſignat autem tempus mortis: in reliquis arbitrium Dei deſiderat. Etſi tandem dicat eum ſemper eſſe; paratum. Rurſum vero n. 9. ait quoties homini cavendum peccatum eſt toties Gratiam adeſſe: imo & quoties ei ſurgendum à peccato. Quòd ſi ita eſt rarò, niſi cum dormit, aut non advertit carebit Gratiâ.

Vaſquez 1. p. d. 97. c. 5. affirmat diſtinctè: non perpetuo, nec omni temporis memento homines excitari ad Pœnitentiam, ſed certis *quibuſdam*, ut loquitur, *temporis intervallis*, negatque ſatis eſſe ad Gratiam iſtam ſufficientem Deum paratum eſſe, niſi actu excitet, & donet cum effectu Auxilium. Convenit tamen cum Suario in eo quod ſunt aliquæ occaſiones in quibus ſemper adeſt Gratia v. g. cum prædicatur Fides, vel Fidei ſacramenta proponuntur, & explicantur. Morituris autem ſentit multis non dari. Imo propter antecedentia peccata ſæpe negari.

Moraines d. 15. S. 1. n. 12. tradit certis tantum temporibus Deum cum Gratia præſto eſſe. Sed peccanti nunquam deeſſe ad vitandum peccatum. Circa morientes

rientes ait primum. *Deum punire interdum morte peccatores in flagranti delicto, vel permittere ut occidantur ab aliis causis naturalibus, aut liberis. Pati etiam nonnullos interfici in statu ebrietatis voluntariæ vel mori dormientes in statu peccati mortalis.* Deinde ait, *Plerosque cum à Deo miraculosè perimuntur, vel ab aliis causis perimi sinuntur, accipere illo ipso tempore Gratiam quâ possunt resipiscere, & veniam peccati obtinere.* Quod idem omnino est ac dicere Deum velle, ut quidam moriantur in peccato, quidam non, atque id ad Dei arbitrium revocare. Quanquam difficile videatur homines inopinâ morte oppressos, vel vi peremptos, ad se redire posse, & aliud in media morte cogitare. Author sum non esse Deum nostris ratiunculis alligandum: *Ventos* enim *eum in thesauri suis habere,* & Gratiam in judiciis. Arbiteres ipsius est: dat pro libito, ac prolibito negat: nec tenetur *vinclo nec legibus ullis.* Illud constat neminem fidelem Gratia sufficiente destitui, nec eam tamen in promptu semper habere: quibus autem temporibus præstò ait, id est unum ex iis quæ nos homunculi divinare non possumus.

Venio ad Amentes. His, si ab infantia mentis impotes sunt, & ita decedunt, non video quâ ratione Gratia dari possit: nisi quis dicat in extremo articulo, cùm jam disceptat animi salus, tunc sibi reddi, & Gratiam accipere. Sed hoc scire in cujus est hominis potestate? Quod si jam adulti in amentiam incidant, & in ea moriantur eadem quæ de aliis pro illo tempore sententia est, scilicet in eodem statu quo fuerant cum mente emoti sunt, morituros: nisi antè mortem mentem receperint. Atque ad eo illis Auxilia gratiæ non fore.

Excipio illos qui interdum ad ſe redeunt, & per lucida, ut aiunt, intervalla lumen rationis admittunt.

Unum obiter hîc dixerim. Morainium. n. 15. ſect. 1. d. 25. Exiſtimare non deeſſe auxilium ſufficiens Amentibus, vel ebriis in ebrietate voluntaria interfectis quòd quàm ſit difficile nemo non videt. Addit quod multo eſt difficilius; *aliquibus qui à Deo in ipſo actu peccati miraculosé puniuntur; etſi non ſatis conſtet ſemperne tunc Auxilium ad converſionem habeant, putare ſe probabilius eſſe: neque tunc deeſſe, ſi ſyncere & ex animo petant, & converti velint.* Quod præterquam quod obſcurè dictum, haud eſt, opinor, recte definitum. Nam ſupponit Moraines id quòd quæritur, nimirum habere eos Auxilium Gratiæ ſufficientis, dum ait eos poſſe *petere & velle converti.* Quod non poteſt fieri ſine Gratia. Si autem Gratiam ad volendum & petendum habent, non eſt dubium poſſe converti: nam hoc jam ſupponit antecedentem Gratiam. De qua utrum iis in eo articulo mortis detur? dubitatur. Quæritur enim: Habeant ne tunc Gratiam ſufficientem? Non utrum eâ habita poſſint converti? Igitur, non erat Morainio dicendum eos *ſi velint & petant converti poſſe.* Hoc enim paret. Sed an tunc velle converti ac petere poſſint? quod non patebat, nam ad id neceſſaria erat Gratia ſufficiens. De qua erat controverſia.

De Infidelibus prolixiùs & accuratiùs agendum. Ac primum de iis quæſtio inſtituitur, quibus vel ante natum Chriſtum, vel poſt natum eum Fides nullo modo annunciata fuit, imo ne ordinario quidem modo annuntiari potuit. Cujuſmodi fuerunt tunc omnes

penè

penè gentes præter Judæos, ac iis vel vicinas vel familiares: & posteà hodieque multæ in remotissimis orbis regionibus, quæ hactenus aut explorari, aut penetrari non potuerunt. Fuisse autem has & adhuc esse, nemo inficias ierit & Theologi communiter fatentur, cùm hac de re disputant. Ita Suarez to. 2. de Grat. l. 4. c. 10. qui n. 4. ait multos *nihil omnino inaudisse de fide Catholica.* Et cap. 15. n. 3. affirmat *experimento constare Deum non omnibus Infidelibus dare in effectu proximè vocationem ad Fidem, quia ad multos externa prædicatio non pervenit, & internæ revelationis nullum est indicium.* Et illud in tota illa longissima disputatione supponit. Vasquez item. 1. p. d. 97. c. 5. n. 28. tradit. *Innumeros earum gentium quæ nihil supernaturale audierunt, nunquam fuisse proximè excitatos aliquâ sufficienti cogitatione ad credendum.* Et n. 30. objecto loco Pauli. *Quomodo credent sine prædicante? Concedit non omnes Deum invocare posse, quod sine aliquo prædicatore illius noticiam habere nequeant, & ad omnes nationes hactenus Prædicatores non miserit.* Idquè ante Apostolorum tempora verum esse ex eodem Paulo fatetur. Nec repugnat Moraines d. 25. S. 4. & 5. de iis quærens utrū Auxilio sufficientis Gratiæ destituantur? Id autem omnino confirmat Cæsar Vaninus in suis Exercit. Exercit. 6.

Quòd ad hos attinet videntur Gratiâ sufficienti prorsus carere: his argumentis. Primùm esto. Fides est ostium Gratiæ: sed hi Infideles carent omni notitiâ fidei: ergo carent omni Auxilio Gratiæ. Major est vera, & traditur à Suario. l. 4. c. 11. n. 4. & c. 15. n. 3. Minorem proximè ostendimus, & suadetur ex eo quòd

multi

multi ſunt in quibus datur Infidelitas negativa: ob ignorantiam invincibilem quæ excuſat à peccato: uti docent Theologi cum D. Thoma. 2. 2. quæſt. 10. art. 1. & probat Suarez non ſolùm tomo de Fide. Sed etiam tomo 2. de Grat. l. 4. c. 11. n. 4. & c. 15. n. 3. Conſequentia rectè deducitur; & eſt meo judicio efficax argumentum: atque adeo illo rem putat confici Cæſar Vaninuus, quemadmodum infra apparebit.

Secundum, à partium enumeratione probatur. Quia vel iſtud Auxilium ſufficiens eſt aliqua Excitatio naturalis, vel ſupernaturalis: hæc non eſt quia tunc eſſet Lumen aliquod Fidei, vel inchoata Fides, quam negavimus: non illa naturalis, quia & gratis ſupponitur, & eſt alterius ordinis, & non eſt ſufficiens, imo eſt inepta: & licet apta foret magno circuitu apus erat ad perveniendum per eam ad Gratiam ſupernaturalem: atque adeo nova Gratia opus eſſet.

Tertium, Accepto naturali iſto Auxilio ſic argumentor. Iſtud eſſe debet lux aliqua & notitia naturalis Dic Creatoris per naturalia ſua opera: qua bene utens Infidelis illuſtratur, à Deo ulterius lumine ſupernaturali: ſed iſta lux multis non datur: & quanquam detur ex illius recto uſu non exiſtit Gratia: igitur nullum eſt illud Auxilium naturale. Major eſt illorum omnium Authorum, qui docent contrariam ſententiam Vaſquij d. 97. c. 5. Suarij c. 10. ad 18. Morainij d. 25. & conſtat, ſi quo modo dandum eſt auxilium, eo illud donari. Minorem probo. Poſt exploratas à noſtris Luſitanis Hiſpaniſque, Utriuſque Indiæ regiones inventæ ſunt nationes tam inconditæ, tamqui barbaræ, ut nullam

lam prorſus de Deo Creatorè, de anima, de ſpiritu, de virtute, de moribus, imo ne de cultu quidem habituſque humano notitiam habeant, atque adeo beſtiarum ritu vivant, imo & immaniores beſtiis homines non externos modo, ſed ſuos etiam propinquos, & conſanguineos in publico macello occidant, iiſque veſcantur. In quibus tam eſt Lumen rationis obtuſum, ut de multis dubitaverint Caſtellani; an homines eſſent eos que loco beſtiarum ducerent: quemadmodum narrat Archiepiſcopus Bartholomæus delas Caſas, & Chronicon D. Franciſci parte 4. & Chronicon D. Dominici, qui tamen ſcriptores impietatem illam Hiſpanorum maximè deteſtantur. Sed affirmant quoſdam ea opinione vel ductos vel abuſos ad Lanienam. Inquam certè adducti non eſſent, niſi in barbaris illis & efferatis hominibus brutorum quædam veſtigia invenirent. De quorum ego profunda inſcitia & barbarie cum multa ſæpe (quod ejus rei à puero curioſus imprimis fuerim) ex iis Societatis Patribus qui inter eos prædicandæ Fidei cauſa verſati fuerant inquiſiſſem, comperi multos paſſim ſine ullo cultu, ritu ve, ſuorum pecorum, quæ natura ventri prona atque obedientia finxit, more vagari. Et fuit vir graviſſimus qui mihi confirmaret eos in tantis tenebris vix ullum locum luci naturalis ratiocinationis aperire. Ad quos certe neſcio perquam rimam ſplendor ille divinæ irradiationis potuerit pervenire. Atque ut jam tum eram animo ad haſce de Gratia quæſtiones compoſito, ultra inquirendo progreſſus rogavi, Utrum conſtaret ipſi eos in hac profunda ignorantia mori? Memini autem reſpondere

mihi

mihi a ſe id ipſum diligenter quæſitum ex Filijs eorum qui è vivis exceſſerant, à quibus accepiſſe ſe eo prorſus modo mortuos eſſe, quo ante vixeſſent. His & alijs cogitationibus alia adjiciens argumenta ſemper hac de re mecum graviter diſceptavi: ſuſtinui que meum prudenter judicium, donec aſsiduâ lectione Auguſtini comperi eum hujus de negato multis ſufficientis Gratia Auxilio eſſe Authorem: uti inferius probabimus: atque adeo cæpi aliquanto animoſius judicium illud meum proferre, non ita tamen ut omnino negare auderem, ſed in diſputationem tantum adducere.

Quartum. Auxilia quæ his hominibus infidelibus dantur, ſi qua ſunt, ea ſunt remotiſsima & a Fidelium ſufficientibus tantum diſtant, ut vix appellari Auxilia poſsint: igitur non erit ab re negare illa Auxilia eſſe. Antecedens probatur optime à Suario l. 4. c. 10. unde n. 9. ait, *Hos recipere aliquo modo Auxilium ſufficiens*: & hæc phraſi ſignificat illud non eſſe niſi improprie ſufficiens: & idem proſequitur in reliquis capitibus ad caput. 18. Imo quod ait de Auxilio Proximo & Remoto c. 2. 3. & 4 quod proprie dicit *ſufficiens* non cadit in hæc auxilia Infidelium. Quia illa movent immediate per excitationes ſuper naturales, & pulſant mentem vel remiſſe vel intenſe, & tantum quoad intenſionem & remiſsionem differunt, uti conſtat ex ejus doctrina, & noſtra ſententia ſuperioribus articulis tradita. At iſtius modi Auxilia Infidelium ſupernaturalia non ſunt, ſed naturalia, neque tam ſunt Auxilia quam ratio ipſa viſque naturæ: que ſanè Auxilium non poteſt appellari, nedum Gratia exiſtimari. Ecquis enim dicat naturalem cogni-

cognitionem, & libertatem voluntatis, & innatam facultatem operandi esse Gratiam Sufficientem? Igitur si hoc dici nequit, nec illud potest: Infideles, si natura duce Deum & cognoscant & colant, & bene vivant, Gratiam accepturos. Unde deducitur hanc supernaturalem esse proximè Sufficientem: aliam naturalem facultatem esse Remotè Sufficientem: atque adeo naturam cum Gratia misceri, & confundi. Confirmatur argumentum; quia si qui remotum Auxilium habent tam cum eo difficulter, imo ægre convertuntur, uti videre est in Peccatoribus induratis quomodo satis erit illud Auxilium tanto magis remotum, & in tanto recessu naturæ positum ad Remedium salutis conferendum.

Quintum. Ratio admittendi, & inducendi istam Gratiam univei salem præcipua est misericordia, & Charitas Dei ergo omnes homines, & ex illa æquitas consecuta: nimirum, quia non est justum & æquum, ut quos Deus amat, & quorum miseretur unâ illâ & generali voluntate, ijs non det media ad salutem, imo quibusdam ea omnino deneget, cum alijs tribuat; sed si hac ratio vera sit, sequuntur duo maxima absurda, Igitur ea non subsistit, nec Auxilij generalitas in ea fundata. Majorem astruunt omnes Authores Universalis Gratiæ locis p. 1. capitis adductis. Minor quoad duo absurda ostenditur. Primum esto. Quia ex ea misericordia & Charitate Dei erga omnes sequitur, danda esse omnibus Auxilia æqualia: sed scimus dari maxime inæqualia, adeo ut non videantur Auxilia collata cum alijs, ergo sequitur primum absurdum. Sequela quæ est major, patet, quia illa voluntas Dei est par erga omnes cum

non supponat merita, sitque ex misericordia & charitate, atque adeo ex Deo ipso proveniat, in quo nihil est aut impar, aut inæquale: ergo debet æquales effectus producere: qui sunt Auxilia Gratiæ, quæ æqualia prorsus futura sunt ex æquali voluntate. Quod autem non sint æqualia patet experientiâ & Adversarij fatentur; imo Suarez cum id multis anteà locis docuisset c. 19. n. 5. ait Semipelagianos eam sententiā docuisse, etsanè ad sua principia consequenter. Quomodo autem tanta diversitas & inæqualitas Auxiliorum ex parte Dei cum illa Pari ac eâdem erga omnes misericordia & Charitate stare possit ego non video: ipsi viderint.

Alterum Absurdum sit. Non posse sustineri illam quam maximè optant æquitatem. Quia si comparentur & conferantur inter se Auxilia inveniemus tam esse diversa & inæqualia, ut videatur potius quæsita inæqualitas, quam æqualitas. Nam Divæ Virgini singularis Gratia, Baptistæ & Apostolis summa, Martyribus & Eximijs Confessoribus maxima, Justis sua, Injustis Fidelibus certa: Infidelibus quibusdam fluxa, quibusdam tenuissima, multis quæ vix appareat, Parvulis quæ non percipitur. Tanta inæqualitate, ut Semipelagiani, qui maxime vindices æquitatis erant, spectatâ hujusmodi diversitate Auxiliorum dixerint, eam ex meritis hominum provenire, uti ex Augustino & Prospero tradit Suarez c. 19. n. 3. & hæresis damnat n. 4. Et quidem si miseros illos Infideles ista doceamus, eosque jam certiores hujusce rei factos audiamus, non ijs credo probatum iri hujusmodi partitionem Auxiliorum, neque in ea æquitatem agnituros, imo quod secum tam inique actum

actum sit dolituros: neque â lacrymis & questibus temperaturos. Compertum habeo ipsos sortem suam cum nostra libenter esse mutaturos. Horum miserorum infelicitatem si ante oculos haberent, qui contrà sentiunt, fortasse minus magnificè de sua opinione loquerentur, & moderatius in opposita consenda se gererent, sed quia in media Fidei luce versantur, & divinæ gratiæ donis abundant, aliorum cæcitatem & inopiam minus curant, ac penè prætereunt, & alios sentientes & lamentantes specie tuendæ misericordiæ Dei accusant, cum *Misericordiam & Judicium* cantare Domino debuissent.

Sextum Ita se habet. Gravissimum sequitur incommodum ex ista ratione dandi Gratiam omnibus Infidelibus, quod videtur sapere Semipelagianismum: igitur non est ferenda. Antecedens probatur, quia illa ratio secundum Authores illius sententiæ consistit in eo Axiomate *Facienti quod in se est Deus non denegat Auxilium.* Quod etsi prima specie tutum videatur, est tamen maximè periculosum. Nam si sensus sit actum aliquem naturalem, esse aut aliquale meritum, aut dispositionem ad gratiam suspectus omnino est, ac Semipelagianus, uti docet Suarez lib. 4. c. 12. & 13. & 14. & præcipuè c. 15. n. 16. ubi negat posse in ijs actibus naturalibus inveniri *rationem dispositionis moralis quia vix potest ab ea ratio aliqua meriti separari.* Et Vasquez acerrimè 1. p. d. 96. c. 12. ubi ait: Dicere initium aliquod Gratiæ esse in nobis sive impetrationem sive occasionem, esse errorem Semipelagianum. At vero qui dicunt homini qui faciat quod in se est viribus naturæ, ex eo intuitu gratiam dari, quatunque id ratione dicant, eodem videntur reci-

dere, ergo periculosum est affirmare gratiam bene naturaliter operanti conferri. Sed aiunt, in eo casu hominem qui facit quod in se est, nil a se meriti nec dispositionis, nec occasionis, nec conditionis propriæ conferre, sed tantùm negative se habere non ponendo obicem gratiæ : quod non est disponi ad gratiam, sed removere impedimentum prohibens gratiam : quod tandem placuit Suario c. 15. & 16. post longissimam disputationem. Probatque Moralnes. d. 5. Sect. 5. n. 36.

Verum si res ista serio pendatur ; quid aliud est non ponere obicem, nisi impedimentum tollere quod fatentur. Quod si fatentur, urgeo ; quid est impedimentum tollere, nisi aut se disponere, aut saltem occasionem dare Deo ad donandam Gratiam ? nam impedimentum illud tollitur bene operando, & bona operatio est quid positivum : remotio vero impedimenti est quid negativum, & consequens actum : igitur ad positionem actus movetur Deus ad dandam gratiam : & ille actus bonus moralis naturalis, qui requiritur, est ratio propter quam datur gratia, & Deus illum intuetur, ut donet. Confirmatur quia Deus non moveretur ad donandam gratiam, nisi videret illum actum, ergo ratio dandi gratiam est in illo actu : quod si est, aliqua dispositio est, & saltem occasio ad gratiam. Et vero Suarez negare non audet dispositiones esse, sed materiales appellat aliquos actus, formales non dicit. c. 15. n. 35. Ego tamen non video qui hujusmodi actus, de quibus sermo est, dispositiones morales esse non possint, cum etsi habeant se ex parte materiæ ad gratiam tamen respiciant, & eas gratia intueatur. Imo dispositiones ad formam materiales

sunt

sunt, cum se habeant ex parte materiæ, & tamen ad formam ordinantur, atque adeo naturales dispositiones sunt, imo & Formales, dum ad Formam ordinantur: igitur & actus illi quibus positis gratia datur, cùm sint ex parte naturæ, atque adeo in entitate naturales & materiales, tamen cum gratiam respiciant, & ad gratiam dirigantur, imo & gratia illas intueatur, & moraliter ipsas postulet, morales, imo & ultra naturales sunt.

Præterea contra hunc modum dicendi Suarij dico quicquid ille adducit c. 15. ad impugnandam sententiam eorum qui requirunt cogitationem congruam ordinis naturalis ad servandam legem, quam aiunt esse gratiam naturalem ex meritis Christi, quæ probatur a Vasquio in 1. 2. d. 26. cap. 4. & d. 38. c. 3. & d. 189. a. cap. 14. ac in ea fundat totam rationem bene operandi imo & Prædestinandi 1. p. d. 91. a. cap. 14. quem tacito nomine impugnat Suarez illo cap. 16. nam quo eam argumento petit illud ego in Suarium verto. Est autem quod habet n. 9. quia admittit initium meriti in nobis, quodcunque illud sit sive perfectum, sive imperfectum. Quod quanquam neget Vasquez, quo nemo Author est in astruenda ingenua & libera Gratia vehementior: ei tamen Suarez oppositum attribuit, ob id solum quia dixit, Deum ex quodam intuitu ad illam observationem legis naturalis inchoatam ab illa cogitatione congrua Fidem donasse, cum Vasquez clamet, se non admittere in ullo actu honesto naturali aliquam, vel dispositionem, vel occasionem respectu Gratiæ: uti videre est 1. p. d. 91. ubi acerrime hoc tuetur: & in 1. 2. d. 199. c. 2. quo loco, nec occasionem, nec intuitum, nec respectum

ctum illum, vel minimum admittit. Unde contra Suarium argumentor. Si quòd Vaſques in cogitatione illa congrua, quam ob Chriſtium datam dicit, quòd ſit ordinis naturalis, fundauit principium Fidei cenſuit, Suarez cum non recte de gratia ſentire nec ei profuit clamare nulla ſe ratione aut meriti, aut diſpoſitionis, aut occaſionis, aut intuitus admittere, quid Suario faciemus, qui ob honeſtatem actuum merè naturalium dixit Deum dare Gratiam homini facienti quod in ſe eſt per vires naturæ: cum multo minus Vaſquio clamet, & repugnet. Sed dicet Suarius ſe id tandem reducere ad negationem, non ad conditionem id eſt, non eſſe obicem in ſubjecto, qui gratiam impediat, atque hanc ſolum eſſe rationem dandi gratiam. Quid tamen hoc modo proficiat judicet Vaſquez dict. 1. p. d. 91. c. 18. qui ait adverſari Divo Paulo hujuſmodi rationem dicendi & in 1. 2. d. 199. c. 2. affirmat ex eo ſequi præcedere in nobis aliquam rationem initialem meriti, & omnia alia incommoda quæ contra Maſſilienſes inferuntur. Itaque neque Suarez Vaſquio, nec Vaſquez Suario probatur. Tanta eſt in hac ratione concedendi gratiam Sufficientem Infidelibus difficultas.

Ea vero tam preſſit torſit que Suarium ut coegerit quod in Vaſquio improbarat omnino ſequi, nam c. 16. n. 13. affirmat *Gratiam ordinis naturalis quam admittit proxime Sufficientem ad implendum quodlibet præceptum legis naturalis, dici poſſe remotè ſufficientem ad implenda ſupernaturalia præcepta, quia bene utenti illâ, non negatur altera ſupernaturalis.* Quod quæſo quid eſt aliud quam evertere quicquid ante de Gratia ſtatuerat: & quod Vaſquez in gratia

naturali

naturali cognitionis congruæ posuerat in Auxilio naturalis Gratiæ collocare? uti legenti Suarium & illo & sequenti numero 14. & id cum ijs quæ dixerat cap. 14. contra Vasquium conferenti, planè constabit.

Eadem difficultas compulit Vasquium circumspectissimum Theologum dicere: gentes quibus prædicata non fuit olim, nec hactenus prædicata est Fides, justo Dei judicio illo beneficio caruisse, *quia nimirum ab æterno vidit Deus multis communibus auxilijs eas malè usuras.* Uti habet n. p. d. 97. c. 5. n. 32. & 33. quod certè a Christi in Evangelio de Tyrijs & Sidonijs sententia abhorret, quibus negata sunt illa signa, quæ Hebræis concessa sunt, quæ sit habuissent *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* His ego & Reginæ Sabâ refutandum Vasquium relinquo.

Septimum ita procedit. Si homini Facienti quod in se est viribus naturæ Deus ex pacto, ac propter Christum dat Gratiam, sequitur jam primam Gratiam ex lege & æquitate orta ex operatione naturæ concedi, in eamque demum reduci totam Gratiæ constructionem, quod quam sit alienum ab ipsius ratione ac definitione Gratiæ ac doctrina Divi Pauli manifestè constat, & ostendit evidenter Vasquez 1. p. d. 91. & 97. & in 1. 2. d. 199. ubi omnem prorsus vel suspicionem, vel umbram meriti, dispositionis, occasionis, intuitus, respectus excludit, & Cassiani & Semipelagianorum placitum esse dicit cuilibet ex his modis gratiam assignare: qui quamvis verbo tenus removeantur posito illo modo dicendi re consequuntur, quemadmodum deducitur ex ipsomet Vasquio ijs in locis: nec minus ex Suario l. 4. a. c. 12.

ad

ad finem libri: quod cum ab ijs tam accuratè, ut â nemine accuratius, observetur, miror hujusmodi de Sufficienti Infidelium Auxilio sententiæ authores esse. Jam vero dicere satis esse ad faciendum quod in se est, *facere quod in se est aliquo modo, licet ex pura infirmitate cadat, & peccare contingat, quia conditio in rigore postulata, non est ut omnino non peccet, sed ut non sit omnino negligens & quasi contemptor legis naturalis* quod probabile existimat Suarez c. 16. n. 12. illud aditum facit magnæ Infidelium parti, cui cælū hac via aperitur multo facilioré quam nostris Fidelibus, qui tot præceptis tenemur, ut sine magna Gratia ea servare non possimus. De qua tamen opinione Vasquium audiamus. In 1. 2. d 199. n. 8. *Observandum quoque est id quod diximus in illa disput. 191. c. 18. n. 15. non solum non posse concedi ex propriis viribus initium aliquod minimum operis boni, sed etiam neque maiora non commisisse peccata, ita ut hæc sit ratio obtinendi Gratiam. Primum quia ut ibidem diximus saltem sequeretur non fuisse quosdam ad Gratiam prædestinatos ex eadem massa, alios vero permissos fieri vasa contumeliæ. Deinde quia qui semel concedit ex nobis hoc præceder: intuitu cujus prima Gratia nobis donetur, negare non potest præcedere etiam ex nobis aliqua bona opera quæ facientes sine Gratia Dei dicamur efficere id quod in nobis est, & intuitu quorum prima Gratia nobis donetur. Nam si asserum Gratiam nobis conferri quia ex nobis sine Gratia majora peccata non commisimus, multo fortiori ratione dicere debem eandem Gratiam nobis donari, quia etiam aliqua bona quoad fieri potuit operati sumus. Hinc autem sequuntur omnia quæ disput. illa c. 15. contra Massilienses intulimus.* Quæ certe nescio quî cum opinione proxima Vasquij de Peccatis Gentium

um quibus negata est Gratia consentiant. Nam minora peccata commisisse non est ratio, aut conditio ad dandam gratiam, quomodo est ratio negandi eam majora commisisse Peccata; nam constat omnes gentes peccare. Igitur si quædam gentes Gratia privantur quia male usuræ sunt Gratiâ, ideo gratiâ privantur, quia majora peccata, quàm aliæ sint admissuræ, & consequenter ideo aliæ gentes Gratiam consequuntur quia minora peccata in iis inveniuntur quod ab ipsomet Vasquio improbatur. Quo item argumento & testimonio Vasquii ac meâ ex illo ratiocinatione refellitur Antoninus Moraines, qui ejusdem est d. 25. Sect. 5. n. 86. sententiæ, dum ait: Infideles *si naturaliter bene vivant & dictamen rationis sequantur quoad possunt, minus indignos se reddunt vocatione divinâ: Sicut ex oppositio quando male vivunt contra lumen naturale ponunt Gratiæ impedimentum.* En utrunque improbatum à Vasquio affirmat Moraines, & bene viventes vocari, & male viventes rejici: quia illi non ponunt, hi ponunt Gratiæ impedimentum. Falsum autem hoc esse præter authoritatem Vasquii sic ostendo. Experientia enim nos docet Deum, ex fidelibus sæpe maximos peccatores, & cum maximè peccant, vocare efficaciter ad gratiam, & interdum Justos & Sanctos in via Dei deficere. Quod sane ostendit Deum gratiam suam liberè & pro libito quibus, quando, & quomodo vult donare. Eamque donum Dei gratuitum, non servam aut pedisequam meritorum esse. Circumspiciat quisque Catholicus quisque Romanus, vicinas natignes aut Hæreticas aut Ethnicas, ac expendat quot Pueri, quot Pu-

ellæ, quot adoleſcentes, quot juvenes ingenioſi, & caſti, egregia indole, optimis moribus in ſuis vel erroribus, vel tenebris & vivant, & moriantur, quotque contra Catholici inverecundi, & ſalaces pravo ingenio, perditiſſimis moribus, ſacramentorum ope ſæpe reſipiſcant, donec eorundem munîti præſidio Sanctè mortem obeant, & ſalutem æternam conſequantur. Imo & aliquando poſt turpiſſimam vitam felicisſimè decedant. Præterea ſi Deus rationem æquitatis in danda ſua Gratia ſervaret, omnibus Pueris Puellisque bene moratis intra pubertatem mortuis quo tempore vix pro ſuo ingenio mortàliter peccarunt Gratiam largiretur; Unde fiet, ut qui *Pueri innuptæque Puellæ* in nocturno Trojæ excidio perempti ſunt, in eo articulo illuminati fuerint omnes a Deo, & ad vitam æternam eâ face perducti, multo felicius quam Aſcanius ad cujus flammatum capitis Apicem.

Stella fa em ducens ſumma cum luce cucurrit. Idemque eveniſſe fatendum iis qui intra innocuam illam ætatem in Saguntina, & Numantina everſione ſunt extincti, imo etqui naufragio ejuſdem ætatulæ pereunt, omnino in mediis fluctibus quibus hauriuntur optatum ſalutis portum inveniunt, quibus clariore, quàm *Fratres Gemini Lucida ſydera*, Æternus Pater Aſtra præparavit. Cuilibet eorum illud occinere poſſumus.

Macte novâ virtute Puer ſic itur ad Aſtra. Nova & quia inopina, & quia mirabilis: nam repente in Cælum receptus. *Mediâque in morte beatus.*

Jam vero ſi vel à Deo vel ab Angelis homines qui hac ratione, quia quod in ſe eſt faciunt, non expectatis homi-

hominibus illustrantur, & informantur, uti hujusmodi Autores sententiæ fatentur, & facile admittit Moraines eâ disput. 25. S. 5. n. 36. certè illustre salutis compendium inveniunt, ac multò nobis & honestius, & facilius erudiuntur, cum tam nobiles, & peritos magistros nanciscantur: qui citra clamores, & strepitus doceant, nec aures obtundant, nec capita frangant. Felices quibus sortem Christiani invidere possimus: cum nos sæpe quæ à Concionatoribus dicuntur ignoremus, & de multis dubitemus, ac interpretatione ac expositione egeamus, & sensu rudi ineptoque spiritualia admittamus, & idcirco interdum decipiamur: At vero ii interius illuminentur, & radios divinæ lucis animo hauriant, quos à vicino sole acceptos Angeli in eorum mentes infundunt.

Largior hos homines æther, & lumine vestit,
Purpureo, solemque suum sua sydera norunt.

Illud ego mirari soleo tam se familiares hisce Gentilibus Angelos præbere, qui nobis Christianis tam se difficiles ostendunt, ut rarò nobis occurrant, nobiscumque loquantur, & non nisi Fide custodiri nos ab iis servari que credamus. Imo video eos horum Authorum sententiâ præter legem moremque Scripturæ hominibus prædicare. Nam in sacris litteris comperimus Angelos tam longe ab hoc officio prædicationis fuisse, ut ipsi mitterent homines ad prædicandum hominibus: & homines ad audiendos homines incitarent. Idque non in Veteri tantum Testamento apud Prophetas videre licet; sed etiam in Novo ubi Gratia homines conjunctiores Deo fecerat. Nam Actorum 8. Philip-

pus ab Angelo ad Eunuchum Candacis mittitur. & 9. Cornelium monet Angelus, ut Petrum accerſat, & Petrus ſpecie objecta cæleſti & oraculo reddito ad eum vadit. Nec Angelus non erat ille qui habitu viri Macedonis aſſumpto Paulum ad annunciandum Macedonibus Evangelium hortatus eſt. *ibid.* c. 16. Imo & Paulus à Chriſto ad Ananiam miſſus, cap. 9. & à Spiritu Sancto operâ Apoſtolorum Paulus & Barnabas ſegregari ad opus converſionis jubentur. c. 13. Quòd ſi per Angelos doceret Deus, non multum curaſſet vir ille Macedo, quòd Paulus ad Macedonas, iret cùm Angelos ea cura maneret, nec quicquam intereſſet vetari à Spiritu ſancto Paulo & Barnabæ loqui verbum Dei in Aſia: nec permitti eos ire in Bythiniam. Actor, cap. 16. verùm quia per homines prædicatur hominibus Fides, non per Angelos, idcirco tanti erat vel concedi, vel ſubtrahi Prædicatores. At legimus accidiſſe ut homini ſylveſtri in Braſilia annuntiaretur Fides, quia rectè ſecundum rationem naturalem vixerat, ita atteſtante Beato illo noſtræ ætatis Thamaturgo Joſepho Anchieta Societatis Ieſu. Fateor: nam ita in Societate audivi, & poſtea in ejus vita ſcriptum legi. Sed ſemel id tantum contigiſſe comperio: ut non id aut ex lege aut ex conſuetudine ſtatum quis exiſtimaret. Quod ſi eſſet; multa ejuſmodi exempla in hiſtoriis occurriſſent. Sed nulla in vita Gaſparis Barzæi, Matthæi Ricii, Coſmæ Turriani Andreæ Oviedi, imo nec in Magni Apoſtoli Xaverii actis invenimus. Quod ſane argumento eſt id non ex pacto, aut conſuetudine, ſed ex voluntate Dei libera accidiſſe. Imo ſæpe memini in horum aliorumque

que ſanctiſsimorum hominum monumentis legere, plurimos perditiſsimis ac profligatiſsimis moribus ad Fidem, & gratiam eſſe traductos. Ut ſi utrum ex duobus eligendum eſſet, dicendum ſit Peccatores ſæpius quàm illos quos innocentes eſſe volunt, à Deo eſſe & vocatos, & illuſtratos, & ad ſalutem æternam ex Infidelibus tranſlatos. Ut cogamur exclamare. *ò Altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* & iterum: *O Homo tu quis es qui reſpondeas Deo?*

Poſt tot tamque prolixa argumenta oportet unam eamque ingentem difficultatem removere, quam multum ponderis habere putant adverſarii, atque adeo eam nonnulli ſummâ vi objiciunt. Eſt verò hujuſmodi. Deum in molitione Univerſi multa & præclara ſuæ omnipotentiæ bonitatis que documenta præbuiſſe, & quot Aſtra, & elementa, tot in iis ſui numinis veſtigia reliquiſſe. Inquæ ſi homines intuerentur, per ea ad cognitionem Authoris ducerentur. Verum quòd hi ventri dediti & voluptatum cæno immerſi mentem à nobilibus curis ad ſordidas traduxerunt, Gratiâ ſupernaturali privati merverunt. Itaque dum Mundi hujus Fabrica eorum oculis objecta excitat ad Authorem operis quærendum, ſufficientia gratiæ Auxilia Deus ſubminiſtrat. Quicquid in hanc rem eleganter Marcus Tullius in libris de natura Deorum, & Plinius in principio naturalis hiſtoriæ deſcribendo commemorant, fidem facit huic ratiocinationi. Itaque hoc argumento utitur Suarius illo lib. 4. cap. 11. & 15. Et Leſſius lib. de Prædeſt. c. 6. Ac illud vehementer inculcat, & exaggerat Vaſquius, in 1. p. diſp. 197. c. 5. ubi n. 31.

ad

ad finem Paragraphi ait, *Quia scilicet omni tempore Deus neminem a sua Gratia excluſit, quominus ipſum invocare poſſet: & ideo hac Cæleſtium corporum machinâ & pulchritudine omnibus ſemper ſe ipſum manifeſtavit.* Id autem probat nonnullis Scripturæ locis & quorundam Patrum ſententiis, quas item adducit Suarez ſuprà citatus.

Ut hæc difficultas tollatur, non eſt negandum in his operibus quædam quaſi Dei eſſe in Orbe impreſſa veſtigia: ac per ea multos veterum Deum agnoviſſe, & hodie non paucos agnoſcere. Verum non inde ſequitur omnes eum noviſſe, & ea ceu ſigna habuiſſe. Fuerunt enim olim hodiéque ſunt tam rudes & inconditi homines, ut non modo per ea Deum non agnoverint, imo & ea pro diis coluerint. Atque adeo abuſi fuerint eâ ſignificatione ad Idololatriam. Tam procul erant à vera Dei unius cognitione. Jam verò alij Cælum & Aſtra ad tempeſtatum & fructuum terræ uſus applicarunt, neque ſublimius quicquam cogitarunt. Nam qui animos cum corpore interire credunt iis, quid divinum, venire in mentem poteſt? Et qui homines in Cælum tranſtulerunt, quæ numina ibi eſſe putarunt? Quam religionem incuſſere orbes illi Cæleſtes iis qui eos inſidendos verſandoſque Jovi, Marti, & Veneri Salacisſimis Diis tribuerunt? Quæ veſtigia Divinitatis in Aſtris invenerunt, qui in iis ceu in ganeis & luſtris, tot Jovis Pellices, & Pellicum Filios fæda & Scorta & Proſtibula collocarunt? Ut merito ſoror Tonantis Locum repulſa cælo Pellicibus daret,

Terramque coleret, jure quæ ſummo gemat,
Et mæſta clamet: Pellices Cælum tenent.

Quid

Quid? quod tam illuſtri ſyderum loco tot monſtra feræque Sagittarius, Taurus, Leo, Urſæ, Equus, Anguis ſtabulent, ut non plures apud inferos Æneas invenerit, inquæ ferrum diſtringeret: ut mihi aptè ad ſuperos tranſlatus Hercules videatur, non tam ad illa conficienda, quám ad Cælum, ceu novum aliud Augiæ ſtabulum, repurgandum. Ex quo apparet quàm longe abfuerint à cultu veri Numinis, vel ij qui ſapientiores inter Ethnicos habiti ſunt, ut non modo per ea ſigna & veſtigia illud non agnoverint, verum etiam per eadem ab illo receſſerint, & conculcatis veſtigiis contempſerint. Ii nimirum ſunt illi qui teſte Proſpero, l. 1. de Vocat. Gent. c. 5. *Deos ſibi dona Dei fecerunt.*

Atque ut Theologicè agamus, ita argumentum ex objectà difficultate formo, & refuto. Si ſatis eſt ad Auxilium ſufficiens habendum, ille aſpectus Cæli ſyderumque, ſequitur Peccare eos omnes qui Deum per ea non agnoſcant: ſed juxta eoſdem Authores non peccant multi, ergo non eſt ille aſpectus & cognitio Auxilium ſufficiens. Major eſt certa, quia quibus datur Auxilium ſufficiens ij poſſunt & tenentur urgente præcepto benè operari: Imo ad id ijdem Authores Auxilium ſufficiens inducunt. Quod autem multi non peccent, quæ erat minor patet, quia datur Infidelitas in multis negativa, quæ eſt citra culpam, & naſcitur ex ignorantia Invincibili, quæ excuſat à peccato; non eſſet autem ea Invincibilis, ſi illud eſſet Auxilium ſufficiens: quemadmodum ſupra ex Suario tradidimus, qui id perſpicue docet tomo 2. de Grat. l. 4. c. 11. n. 4. & c. 15. n. 3. Idem accurate demonſtrat Vaſquez in 1.2.

tom.

tom. 1. d. 120. c. 3. & 4. ex ſua & aliorum complurium Authorum ſententia. Duce D. Thoma. 2. 2. q. 10. a. 1. Conſequentia eſt idonea: eâ que deductâ argumentatio tota conſtat.

CAP. XII.

Quid de hac Univerſalitate Auxilij ſenſerit Auguſtinus.

QUoniam, ut inquit Suarius, eandem ſuper hoc Auguſtini mentem inquirens l. 4. c. 18. tom. 2. de Grat. *Authoritas Auguſtini in hac præcipuè materia magna eſt.* Scire oportet, Utrius ille ſententiæ Author fuerit. Ac primum fateor, & ſi opus eſt jure jurando affirmo: me cùm in oppoſita ſententia, id eſt de Univerſali Gratia, quam in Societate acceperam eſſem, legendo Auguſtino ab ea ad contrariam, quæ negat omnibus dari communem Gratiam, deflexiſſe: id que Anno 1638. Conimbricæ mihi contigiſſe confirmo: cum neminem præter unum Auguſtinum Authorem ea de re legiſſem. Eum enim ſolùm in ijs quæ ad Prædeſtinationem & Gratiam ſpectant, Magiſtrum extra Societatem habui, ut quicquid profecerim ei ex integro debeam.

Igitur

Igitur compertum mihi prorſus eſt Auguſtinum Authorem eſſe: *Non omnibus aut dari, aut offerri Gratiæ ſufficientis Auxilium: Sed multis illud negari.* Id ut oſtendam, Primùm adducam teſtimonia Auguſtini clara & expreſſa. Secundùm argumenta & loca in quibus id evidenti deductione probatur. Tertiùm Authores, qui affirmant eum illius ſententiæ Authorem fuiſſe. Quartùm rationes, ſi quæ ſunt, & teſtimonia eorum, qui negant illum ita ſenſiſſe, confutabo.

Primus locus eſto in Epiſtola. 107. ubi ſic ad Vitalem in Pelagianum errorem inclinantem inter duodecim de Gratia Dei articulos tres. IV. V. & VI. ita proponit. *Scimus Gratiam Dei non omnibus hominibus dari; & quibus datur, non ſolùm ſecundum mei ita operum non dari; ſed nec ſecundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maximè apparet in parvulis. Scimus eis quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur juſto judicio non dari.* Conſtat de omni Gratia etiam ſufficiente loqui; quia loquitur de Gratia quæ datur miſericordiâ, & quæ non datur judicio divino. Hæc autem eſt ſufficiens; nam Efficax ſi negatur, culpâ noſtrâ potius fit in opinione adverſariorum, quám judicio Dei, unde ea non tam negatur à Deo, quam à nobis ineffi-cax redditur. Clarius id ex Auguſtino eaſdem ſententias exponente liquet. Ait enim paulò inferius. *Quomodo dicitur omnes homines Gratiam eam fuiſſe acceptu-ros, ſi non illi quibus donatur eam ſua voluntate reſpuerent, quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri?* Ita rogat Auguſtinus ex adverſariorum perſona, qui ut tueantur Gratiam communem dicunt, hanc omnibus offerri,

ſed reſpui: ideo autem offerri, quia *Deus vult omnes homines Salvos fieri.* Hoc enim & hodie objiciunt Adverſarij. Pergit jam ſuo nomine Auguſtinus. *Quomodo dicitur* hoc: *cùm multis non detur parvulis: & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus feſtinantibus que parentibus, miniſtris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, non detur, cum repente antequam detur expirat, pro quo ut acciperet currebatur.* His verbis refutat illud *Homines fuiſſe Gratiam accepturos, ſi ij eam ſua voluntate non reſpuerent.* Probat enim hoc dictum falſum eſſe exemplo Paruulorum: qui neque voluntatis propriæ, quá tum carent neq; Parentum qui maxime volunt culpâ, Baptiſmum, quæ ijs tota eſt Gratia, non accipiunt. Tunc locum Pauli refellit in eum ſenſum detortum hoc modo. *Unde manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione ſit dictum; quod omnes hominis vult Deus ſalvos fieri:* cum tam multi ſalui *non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult: quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis: ſed ſicut illud quod dictum eſt: Omnes in Chriſto vivificabuntur, cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum eſt quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto, ita quod dictum eſt: Omnes homines vult Deus Salvos fieri, cum tam multos nolit Saluos fieri, ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalui fiunt, niſi ipſo volente non fiunt, & ſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus ſed Deo nolente Salvos non fieri, contraria eſſe non poſſint.* Non potuit clarius mentem ſuam Auguſtinus exponere: nam, ut vellet,

vellet, quâ ratione melius exprimeret, locumque Pauli qui alterius partis Achilles est eo sensu acceptum aptius & vehementius refutaret. Ac ne quis eluderet confugiendo ad voluntatem Dei inefficacem & conditionatam, dicendo Deum hac voluntate quantum inse est si ipsi vellent homines voluisse, Augustinus ter explicatè dixit Deum noluisse, & volentibus hominibus noluisse. Et Terminum *Omnes* ne ad universos pertineret, aptissimo inducto testimonio ex eodem Apostolo circumscripsit. Similes habet locos Epistola. 105. & 106. quibus eadem veritas eodem Paruulorum argumento comprobatur: quos indico tantùm, ne similes accumulem. Quod si quis legere velit ad medium Epist. 105. & ad initium 106. praclara reperiet testimonia, ijs que omnino acquiescet.

Secundum testimonium mistum ex duobus habetur Lib. 1. de. Peccat. mer. & remis. c. 21. & 22. quod quia longum est; ex eo breviter sententias duas colligo: reliquam rationationem, quæ idonea, relinquo lectoribus. Igitur c. 21. *Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, injústa non potest.* Et mox. *Non tam movet cùm præstatur indignis, quàm cum æquè indignis alijs denegatur.* Id Infantium exemplo confirmat. At vero c. 22. de adultis idem docens accuratissimè contrariæ sententiæ fundamentum conuellit. *Unde,* inquit *fit ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor; qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit ubi ei prædicari Gratia Christiana non possit? Quomodo e-*

nim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitijs & facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat credat, baptizetur, rapiatur; aut ſi detentus hic fuerit laudabiliter vivat? Vbi duo iſti tam diverſa merita contraxerunt, non dico, ut iſte credat, ille non credat, quod eſt propriæ voluntatis: Sed ut iſte audiat, ille non audiat. Hoc enim non eſt in hominis poteſtate. Supervacaneum eſt commentari locum cum omnino perſpicuus ſit. Eo autem non ſolum ſtatuitur Auguſtini Sententia, ſed etiam oppoſitæ præcipuum argumentum refellitur, quod ſumitur ex bonis operibus factis viribus naturæ ante Gratiam, quorum hæc intuitu, aut reſpectu, aut occaſione detur. Id verò hic ab Auguſtino aptè confutatur. Legendus etiam c. 15. in eam mentem dum de Paruulis traditam doctrinam confirmat: adducto & explicato loco Joannis 21. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Tertius locus eſt l. 2. de Peccat. mer. & rem c. 5. haud minus illuſtris. Agens enim de Adjutorio Gratiæ neceſſario ad bene operandum, quod luci comparat & præfert, quia lux ad videndum tantum adjuvat oculos ſanos, non autem ſanat ægros, nec aperit clauſos cum utrunque Gratia præſtet, quo excitans Gratia exprimitur ait: *Adjutor enim noſter Deus dicitur. Nec adjuvari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, Salutem noſtram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet:*

juvet: illùm tantum, illum autem non tantùm: istum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis. Neque hic opus est expositione. Per se patet: lectore tantum egemus. Hujus appendix esto totum caput 2. lib. de nat. & Grat. ubi docet multas olim fuisse gentes,& suo tempore adhuc esse ad quas omnino Fidei prædicatio non pervenerit; & cum admittat posse eas in Deum conditorem credere, & recté vivendo illius implere voluntatem, negat tamen, etsi hoc ita sit, posse salvari eas, qùod Christus ijs, nec annunciatus, nec agnitus, nec cultus sit. Itaque supponit Facientibus quod in se est viribus naturæ non dari Gratiam, atque adeo salutem non obtinere, contra quàm Adversarij sentiunt. Caput est illustre & manifestum. Ex cujus doctrina concludit c. 4. *Hæc igitur Gratia sine qua nec infantes, nec ætate grandes Salui fieri possunt non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod Gratia nominatur: Justificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius. Unde hi qui non per illam liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis, quod accipere possent non acceperunt, iuste itaque damnantur: quia sine Peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt & egent gloriâ Dei.* Hoc capite justa & doctrina Augustini, & contraria Augustino refutatio continetur. Idem est sequentium duorum 5. & 6. capitum argumentum.

Quartum ex duobus conflatur testimonium: Altero ex lib. 2. ad Bonifacium, c. 7. altero ex lib. 4. c. 6. Breves

ves tamen prævia ratiocinatione, quòd prolixa eſt, ſententias affero. Illa ſit ex primo loco prima. *Si quis duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere : cui vult donat, ſed neminem fraudat, nec acceptio perſonarum dicenda eſt, quando iniquitas nulla eſt.* Et inductâ parabolâ Patris Familias cum operarijs ex denario diurno laborantibus, & expenſis illis duabus Sententijs : *Amice non facio tibi injuriam.* Et: *An non licet mihi quod volo facere? Sic etiam cum ſecundum propoſitum Dei vocatur alius, alius non vocatur vocato datur gratuitum bonum, non vocato redditur malum: quia omnes Rei ſunt, ex eo quod per unum hominem Peccatum intravit in mundum.* Non fundat negationem Gratiæ communis in peccatis perſonalibus actualibus, ſed in originali: quo jugulat omne Pactum inductum ab Adverſarijs de danda Omnibus Gratia per Chriſtum etiam poſt Peccatum originale, quod nunquam Auguſtinus cognovit. Conſonat alter locus cap. 6. *Quare iſtos homines oves facit, iſtos non facit? apud quem non eſt acceptio Perſonarum? Ipſa eſt quæſtio quam beatus Apoſtolus curioſius quàm par eſt, proponentibus ait: O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* Et infra. *Cur autem iſte accipiat, Ille non accipiat, cum ambo non mereantur accipere, & quiſquis eorum acceperat indebite accipiat, vires ſuas metiantur, & fortiora ſe ne ſcrutentur. Sufficiat eis ſcire quod non ſit iniquitas apud D.um.* Anteà de Prædeſtinatione dixerat, modò de effectu ejus, ideſt de Gratia loquitur, & pergit id doctrinâ Pauli confirmare.

Quintus eſto locus inſignis ille, c. 11. de Corrept. & Grat. quem ob id citat pro hac ſententia P. Suarez.

to.

to. 2. de Grat. l. 4. c. 18. Ubi propoſito Adjutorio *Sine quo non* proprio ſtatus Innocentiæ & Angelorum, quod omnino ac propriè Sufficiens erat, quemadmodum late, ac ſæpe probavimus ait: *Nunc autem quibus deeſt tale Adiutorium iam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum Gratiam datur, non ſecundum debitum: & tantò amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum Noſtrum quibus id Deo dare placuit, ut non ſolum adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus; verum etiam tantum ac tale ſit ut velimus.* Evidenter Auguſtini mens apparet, nam aperte dicit, deeſſe illud genus Auxilij quibuſdam in ſtatu naturæ lapſæ, id que ratione Peccati Originalis, quod eâ nos gratiâ privavit ac idcirco ait. *Iis quibus datur non dari ex Debito*: ideſt ex Pacto cum Adamo Innocente & ex naturæ illius Innocentis ad bene operandum exigentia, quod ille debitum vocat, ſignificans ſatis eſſe quancunque rationem æquitatis & congruentiæ ad debitum inducendum, quo oſtendit quàm liberam & gratuitam vellet Gratiam, quàmque ab omni reſpectu alienam. Ideo addit: Quibus datur, dari *Secundum Gratiam non ſecundum debitum.* Ideſt ex mera & gratuitá voluntate Dei, quæ contra demeritum Peccati eâ Gratia privantis dabatur; nam ſi ex intuitu daretur operum, ac ex aliquo pacto, ſecundum debitum prorſus daretur. Deinde monſtrat Auguſtinus agnoſcere ſe utramque Gratiam in hoc ſtatu lapſæ naturæ. Ait enim *Quibus datur ea* propria Angelorum & Adami, id eſt *Sufficiens*, docens hanc quibuſdam deeſſe, quibuſdam adeſſe. Dari vero adhuc amplius quiddam affirmat, ideſt aliam Gratiam Efficacem, quæ eſt propria Prædeſtina-

deſtinatorum. Itaque in hoc loco habemus, quæ deſiderari poſſunt ſummâ perſpicuitate ſententiæ. Nam eſt expreſſum *Adiutorium ſine quo non*, ideſt Gratia ſufficiens, quæ quibuſdam deeſt. Id autem illa particula *Tale* Adjutorium ſignificat. Deinde habetur clarè *Dari* alijs, *Quibus autem datur*. Eis que omnino gratis, ideſt immerentibus, donari. Tandem non eam duntaxat, Gratiam præſto eſſe, ſed aliam majorem, ideſt Efficacem ultra hanc donari.

Juvant hoc teſtimonium alia tria ex eodem libro. c. 7. & 8. & 13. Cap. 7. ait multos non accipere Gratiam nec Fidem imo nec de ea *quicquam audiſſe*. cap. autem 8. dicit: multos non accipere à Deo Donum Perſeverantiæ, & Infantes plures carere Baptiſmo, & medio ad illum habendum, de quibus ait *Cùm & illis* qui non baptizantur *meritum malum nullum* ſit: *& iſtis* qui baptizantur *nullum ſit bonum ex eorum propria voluntate.* Manifeſtiùs autem c. 13. Cùm Prædeſtinatos poſuiſſet & eorum Gratiam, & Salutem explicaſſet, venit ad non Prædeſtinatos, & ait. *Hi ergo qui non pertinent ad hunc felicisſimum numerum, pro meritis juſtisſime judicantur: aut enim iacent ſub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum: aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt.* Hos negat habere Gratiam ullam. Mox ait *Aut Gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, deſerunt & deſeruntur.* His concedit Gratiam dari, ſed juſtam & ſufficientem: cum alijs nullam dediſſet, uti patet ex eo quod dicit de ſecundo genere Reproborum. *Aut Gratiam Dei ſuſcipiunt.* Unde patet illos priores Reprobos Gratiam non ſuſcepiſſe. Sex-

Sextum adduco locum ex libro de Prædeſt. Sanct. c. 8. ubi ſic. *Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Chriſtum? Niſi quia omnes quos docet miſericordiâ docet: quos autem non docet, judicio non docet: quoniam cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: ſed miſeretur bonum tribuens, obdurat digna retribuens.* Et in hanc mentem ſoluit aliquot ſententias Scripturæ Univerſaliter loquentes: Ac inter eas illam *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: ut tantum de iis qui ſalvis fiunt intelligatur. Et infra eodem cap. *Illis datur ut credant, illis non datur.* Et cap. 9. initio cap. *Fides & inchoata & perfecta donum Dei eſt. Et hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omnino non dubitet qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur Fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes iſſe in condemnationem ſine dubitatione juſtiſſimam; ita ut nulla Dei eſſet juſta reprehenſio, etiam ſi nullus inde liberaretur. Unde conſtat magnam eſſe Gratiam quòd, plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoſcunt*: UT QUI GLORIANTUR NON IN SUIS MERITIS QUÆ PARIA VIDENT ESSE DAMNATIS, *Sed in Domino glorientur.* Hoc quaſi gladio bona illa ex naturalis rationis uſu opera præciduntur: nam eadem omnium merita, ideſt damnatorum, ob peccatum Originale. *Ex quibus cur iſtum potius, quam illum liberet inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.* Viden, ut non ad opera humana, ſed ad judicia Divina recurrat? Nemo autem objiciat hanc ſententiam Auguſtini, de Fide, non de Gratia ſufficiente loqui, nam cui apud Auguſtinum negatur Fides, negatur & Gratia: quòd apud eum *Fi-*

des ſit Oſtium Gratiæ. Uti nos in argumentis dicemus. In hanc mentem de Paruulis, caput 14. ejuſdem libri integrum trahe.

Septimum inſigne maxime efficiunt quædam ex libro de Dono Perſever. præclaræ ſententiæ. Nonnullæ in cap. 8. ſunt. Illa me rapit. *Ex duobus paruulis originali peccato obſtrictis, cur iſte aſſumatur ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impijs, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur ille autem* AUT NON VOCETUR: *aut non ita vocetur ut vocantem ſequatur, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic detur Perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei.* Hæc non commentatorem accuratum, ſed lectorem attentum deſiderant. Quædam inveniuntur cap. 11. Sed illæ movent: *Paruulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus ſubvenit. Et maioribus etiam his quos prævidit, ſi apud eos facti eſſent ſuis miraculis credituros, quibus non vult ſubvenire non ſubvenit.* Locutus fuerat proxime de Tyrijs & Sidonijs. Conſentit c. 12. initio. *Hominibus dat quibus vult quoniam miſericors eſt, quod etſi non det iuſtus eſt: Et non dat quibus non vult, ut notas faciat divitias Gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Dando enim quibuſdam quod non merentur, profecto gratuitam & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Non omnibus dando quid omnes mererentur oſtendit.* Idem tractat eodem cap. ad finem. Nuſquam tamen illuſtriores & profundiores habet ſententias, quam capite 14. Accipe, *Prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quam præſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur. Cæteri autem ubi*

niſi

nisi in massa perditionis justo divino iudicio relinquuntur? Ubi Tyrij sunt, & Sidonij qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Videat lector: An hoc manifestius & vehementius dici possit? Ego certè cum lego non modo intelligo, sed contremisco. Totum caput hauriat oculis qui dubitat & puram hauriet veritatem. Non desunt quædam hujusce veritatis scintillæ in sermone 11. de verbis Apostoli. ad finem. ubi de Infantibus loquitur.

Octavum testimonium componant aliquot sententiæ libri Enchir. Cap. 95. *Nec utique Deus iniuste noluit salvos fieri cum possent salui esse si vellet.* Et cap. 97. *Quando quæritur causa: Cur non omnes salvi fiant? responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem de Parvulis dici non potest, quorum nondum est velle seu nolle.* Et cap. 10. 13. *Ita intelligere debemus quod scriptum est, Qui vult omnes homines salvos fieri: tanquam diceretur nullum hominem fieri salvum nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat nisi velit, & ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Evangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem, non quia nullus est hominum, quia non illuminetur, sed quia nullus nisi ab ipso illuminatur.* Quod ibi latissime prosequitur.

Nonum conficiunt duo Augustini testimonia ex libris contra Julianum. Alterum ex libro 6. brevius quod sit ad secundum præludium *Quod multo* inquit *est mirabilius, aliquando adoptat in Filium, quem format in*

utero immundissimæ feminæ, & aliquando non vult esse suum Filum, quem format in utero suæ Filiæ. Atque ita facit esse in Christi consortio, quem formavit Diaboli domicilio; & non vult esse in Regno suo, quem formavit in Templo suo. Aut si vult, cur non facit quod vult? Non enim quod soletis de maioribus dicere: Deus vult & Paruulus non vult. Certe hic ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi Misericordiæ & Veritatis profunditas?

Sed instar omnium locorum sit ille libri 4. contra eundem Julianum, cap. 8. quem ego justam hujusce doctrinæ sedem dixerim. Longior est, sed nihil in Augustino longum, quod non sit optimum. Igitur. 'Sed 'ponis *inquit*, Apostolicum testimonium, & ab eo dicis 'pulsantibus aperiri, qui omnes homines vult salvos 'fieri, & in agnitionem veritatis venire: ut videlicet 'intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes sal- 'vos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi 'nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quære- 're, cùm Deus velit ostendere: nolunt pulsare, cùm 'Deus velit aperire. Sed hunc sensum vestrum infan- 'tes illi ipsa sua taciturnitate convincunt, qui nec pe- 'tunt, nec quærunt, nec pulsant, imò etiam cùm bap- 'tizantur reclamant, respuunt, reluctantur, & accipi- 'unt tamen & inveniunt, & aperitur eis, & intrant in 'regnum Dei, ubi fit eis æternitatis salus & agnitio 'veritatis, longè pluribus infantibus in istam gratiam 'non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines salvos 'fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quibus dice- 're non potest, volui & noluistis, quia si voluisset, quis

eo-

‹ eorum qui nondum habent voluntatis ſuæ arbitrium,
‹ voluntati ejus omnipotentisſimæ reſtiſtiſſet? Cur
‹ ergo non ſic accipimus quod dictum eſt, Qui omnes
‹ vult homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis
‹ venire: quomodò & illud accipimus, quod idem
‹ dixit Apoſtolus, Per unius juſtificationem in omnes
‹ homines ad juſtificationem vitæ? Hos enim omnes
‹ vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis veni-
‹ re, inquos omnes per unjus juſtificationem gratia per
‹ venit ad juſtificationem vitæ, ne dicatur nobis, Si Deus
‹ vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem ve-
‹ ritatis venire, ſed ideo non veniunt quia ipſi nolunt:
‹ cur tot millia paruulorum, qui non percepto baptiſ-
‹ mate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi cer-
‹ ta eſt agnitio veritatis? Nunquid aut homines non
‹ ſunt, ut non pertineant ad id quod dictum eſt, omnes
‹ homines? Aut aliquis poterit dicere, Deus quidem
‹ vult, ſed ipſi nolunt, qui nondum velle ſeu nolle iſta
‹ noverunt, quando nec ij, qui paruuli baptizantur at-
‹ que moriuntur, & per illam gratiam ad agnitionem
‹ veritatis quæ in regno Dei eſt, certisſimam veniunt,
‹ ideo veniunt, quia ipſi renovari Chriſti baptiſmate vo-
‹ luerunt? Cum ergo nec illi propterea non baptizen-
‹ tur, quia noluernnt: nec iſti propterea baptizentur,
‹ quia volunt, cur Deus qui vult omnes homines ſal-
‹ vos fieri, & in agnitionem veritatis venire, tam mul-
‹ tos in regnum ſuum, ubi eſt certa veritatis agnitio,
‹ qui nullo ei reſiſtunt voluntatis arbitrio, patitur non
‹ venire? Niſi fortè dicturus es, ideo paruulos non in
‹ eorum numero deputandos, quos Deus omnes vult

ſalvos

'ſalvos fieri, quia ea ſalute, quæ hîc intelligenda eſt,
'ſalvi ſunt ipſi, nihil trahentes omnino peccati. Atque
'ita intolerabilior ſequetur abſurditas. Iſto enim modo
'benevolentiorem facis Deum omnibus impiiſsimis
'& puriſsimis hominibus, innocentiſsimis & puriſsi-
'mis ab omne labe peccati. Quandoquidem illos, quia
'vult eos omnes ſalvos fieri, vult etiam intrare in reg-
'num ſuum. Hoc eſt enim illis conſequens ſi ſalvi fu-
'erint: ſed qui nolunt, ipſi ſibi obſunt. Immenſum
'verò numerum parvulorum, qui ſine baptiſmate mo-
'riuntur, ſuo regno adjici non vult, quos neque ulla
'peccata ſicut putatis impediunt, & quod nullus am-
'bigit, ejus reſiſtere voluntati contraria voluntate non
'poſſunt. Sic fit, ut eſſe Chriſtianos omnes velit, quo-
'rum multi nolunt: non omnes velit, quorum eſt
'nemo qui nolit. Quod abhorret à verò. Novit Do-
'minus qui ſunt ejus: & in eorum ſalute atque in ſu-
'um regnum introductione certa eſt voluntas ejus. Sic
'ergo debet intelligi quod dictum eſt: Omnes homi-
'nes vult venire, quemadmodum intelligitur quod
'dictum eſt: Per unius juſtificationem in omnes ho-
'mines ad juſtificationem vitæ. Quod Apoſtolicum
'teſtimonium ſi eo modo intelligendum putas, ut
'dicas omnes poſitos eſſe pro multis, qui juſtificantur
'in Chriſto, multi quippe alii non vivificantur in
'Chriſto? Reſpondebitur tibi, ſic etiam illic ubi di-
'ctum eſt, omnes homines vult ſalvos fieri, & in ag-
'nitionem veritatis venire: omnes, poſitos eſſe pro
'multis, quos ad iſtam gratiam vult venire. Quod
'in alto convenientiùs propter hoc intelligitur dictum,
quia

‘ quia nemo venit, nisi quem venire ipse voluerit. Ne-
‘ mo potest venire ad me, inquit filius, nisi pater, qui
‘ misit me traxerit eum. Et, Nemo potest venire ad me,
‘ nisi fuerit ei datum à patre meo. Omnes ergo qui sal-
‘ vi fiunt, & in agnitionem veniunt veritatis, eo vo-
‘ lente salvi fiunt, eo volente veniunt. Quia etsi non-
‘ dum sicut parvuli utuntur voluntatis arbitrio eo vo-
‘ lente regenerantur, quo creante generantur: Et qui
‘ jam utuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac
‘ subveniente à quo præparatur voluntas, velle non
‘ possunt. Ubi si dixeris mihi: Cur ergo non conver-
‘ tit omnium nolentium voluntates? Respondebo:
‘ Cur non omnes morituros adoptat lavacro regenera-
‘ tionis infantes, quorum adhuc nullas, & ideò nec
‘ contrarias invenit voluntates? Si hoc profundius esse
‘ perspicis, quàm ut abs te valeat inveniri; utrique no-
‘ strum profundum sit, cur & in majoribus & in mi-
‘ noribus Deus velit alteri, & nolit alteri subvenire:
‘ dum tamen certum & immobile teneamus, non esse
‘ iniquitatem apud Deum, qua quemquam sine malis
‘ meretis damnet: & esse bonitatem apud Deum, qua
‘ multos sine bonis meritis liberet, demonstrans in eis
‘ quos damnat, quid omnibus debeatur: ut hinc dis-
‘ cant quos liberat, quæ sibi pœna debita relaxetur, &
‘ quæ indebita gratia condonetur.

Tam est illustris hic locus, ut nullâ aliâ Face ad illius doctrinam opus sit; imò quemadmodum ineptè erit Solem illatis lucernis velle ostendere, ita absurdum fuerit hunc locum Sole ipso clariorem velle commentariolis illustrare. Quicquid ab Adversariis nunc objectum

ctum ex parte voluntatis conditionatæ & univerſalitate ſententiæ Pauli æquitate, & exigentia meritorum aut diſpoſitionum opponi tunc potuit, id omne eſt ab Auguſtino occupatum & refutatum.

Non opus erat argumentis: ſed quod ea ego promiſi, & ſunt quædam quæ non parum juvant, afferre illa operæ pretium duco. Sed attingam potius quam expendam.

Primũ a Prædeſtinatione ſumitur. Nam Auguſtinius author eſt: Ex maſſa in Adamo damnata Deum pro ſua voluntate elegiſſe quoſdam ad ſalutem, alios in maſſa damnata reliquiſſe: ita ut prima ratio non eligendi fuerit juſtitia & judicium derelinquentis Dei. Unde ſequitur multis omnino derelictis Deum nullum prorſus Auxilium deſtinaſſe: ineoque in juſtum non fuiſſe, cum quos dereliquit, in eadem inqua erant Maſſa reliquiſſet, ideſt damnatos in eodem ſtatu damnationis. Quod autem Auguſtiniana ratio Prædeſtinandi ea fuerit, omnino conſtat & patet ex noſtra Cortina in Principio, 2. & 3. & in Concluſionibus 5. uſque ad 16. ac ex earum probatione tum locis ad marginem: tum ſententijs in tract 4. & in tract. 5. in Paral. D. Gregorij & Bernardi cum Auguſtino: & nos in proprio de Prædeſtinatione, quem me ditamur tractatu, ſuo tempore monſtrabimus.

Secundum eſt: quia Auguſtinus totus eſt in evertenda quacunque ratione meriti, reſpectus, intuitus, conditionis, occaſionis ex parte noſtra ante Gratiam: ut ea prorſus libera & gratuita ſit. Id autem datâ communi Gratiâ omnibus hominibus ſtare non poteſt, uti vidimus

vidimus, cum & in adultis requiratur ratio aliqua rectè operandi, vel saltem minus male operandi: & in Parvulis industria & vigilantia Parentum, ad Auxilium Gratiæ sufficiens statuendum. Confirmatur, quia hoc modo consentiret cum Pelagio & Juliano, & saltem cum Semipelagianus Augustinus, qui volebant neminem Gratiâ carere: nec satis erit effugio dicere illos posuisse meritum & initium meriti in natura, Augustinum removisse: nam imprimis id Semipelagiani dicere se negabant, & Augustinus omnem quæcunque illa foret rationem ex parte nostra sustulit, ac ne quis locus suspicioni remaneret ante Gratiam nihil nisi demeritum in nobis peccatumque cognovit, uti ex sententiis ejus supra memoratis constat.

Tertium. Augustinus naturam & Gratiam semper sibi invicem oppposuit, & inter utranque eam differentiam induxit, ut natura communis omnibus esset, Gratia non esset. Ergo Gratiam communem efficere non potuit. Antecedens legenti Augustinum compertum erit. Ego duos illustres locos do. lib. de Grat. & lib. arb. c. 13. inter alia loquens de natura. *Non est hæc Gratia quam commendat Apostolus per Fidem JESU Christi. Hanc enim naturam etiam cum Impiis & Infidelibus certum est nobis esse communem. Gratia vero per Fidem JESU Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa Fides. Non enim omnium est Fides.* Sermone 11. de Verbis Apostoli sic. *Exceptâ illâ Gratiâ qua condita est humana natura, hæc enim Christianus Paganisque communis est, hæc est major Gratia non quod per Verbum homines creati sumus, sed quod per Verbum Carnem factum Fideles facti sumus.* Ubi

advertendum permittere, ut Pelagiani naturam nomine Gratiæ vocent, ſed ſemper inter eas diſtinctionem inducere, quòd illa ſit communis, iſta non ſit. Unde infra. *Videte quomodo illam generalem gratiam prædicent, qua creatus eſt homo, qua homines ſumus, & utique & cum impiis homines ſumus: ſed non cum Impiis (briſtiani ſumus.* Et paulò poſt. *Antequam conditi eſſemus nihil boni merebamur, & ideo Gratia quia conditi ſumus, cum boni nihil mereremur. Si ergo magna eſt Gratia quando nihil boni merebamur, quanta Gratia eſt quando tantum mali merebamur?* Tandem. *Una erat Maſſa perditionis ex Adam: Facta ſunt vaſa inde in honorem ex eadem Maſſa. Et concludit. Me quare in honorem, & Alium in contumeliam? Quid reſpondurus ſum. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo! Duo Parvuli nati ſunt, &c.* Hoc autem argumentum urget, eos qui dicunt inter Gratiam ſufficientem & Efficacem non dari diſcrimen ex parte Gratiæ, ſed ex parte cooperantis, nam tunc manifeſtè ſequitur Gratiam eſſe omnibus inſtar naturæ communem; id autem quo diſcernitur à nobis provenire.

Quartum. Auguſtinus omnem & totam rationem Gratiæ in Fide fundat, & ab hac initium Gratiæ petit: Sed cum Paulo affirmat *Non omnium eſſe Fidem*, igitur conſequenter docuit, non omnium Gratiam eſſe. Major eſt in Auguſtino certiſſima. Et nos probavimus in Cortina Principio 7. & in Concluſionibus, à concluſione. 35. ad 45. & in probatione illarum Tract. 4. & ita docet Suarez. to. 2. de Grat. l. 4. c. 15. n. 23. probatque ex eodem Auguſtino, & Proſpero & Fulgentio. Minor eſt indubitata. Conſequentia colligit. Confir-

matur

matur. Quia Divus Auguſtinus non potuit ante fidem aliquid boni moralis in actibus humanis admittere, cujus intuitu vel reſpectu inſpirentur Fides vel Gratia, cum Author ſit omnes actus humanos deliberatos ſine aliqua fide, & gratia eſſe malos, atque adeo peccata. Quemadmodum docet Cæſar Vaninus Exercit. 16. Et latè ac delucide demonſtrat Vaſquez tom. 2. in 1. 2. d. 190. a. c. 6. ad 10. & d. 91. & Maldonatus in Matth. c. 6. n. 18. noſque oſtendimus in noſtra Cortina integrâ & exactiſſimâ cadere inſtitutâ quæſtione. Ubi cum Auguſtino Patres complures, & Scholaſticos ferme triginta ſentire probavimus. Itaque nihil magis repugnat Auguſtino quàm dicere. Poſſe infideles bonis actibus moralibus naturaliter elicitis aliquo ſe modo ad Gratiam vel diſponere, vel præparare, cum neget aliquod honeſtum & bonum opus morale ante Fidem & Gratiam reperiri; imo *omne quod non eſt ex Fide Peccatum eſſe* omnino confirmet: uti ea queſtione tradidimus, & quicquid contra objicitur & objici poteſt diluimus.

His & aliis quibus ſuperſedeo argumentis patet: Auguſtinum *nec ſentire nec ſentire potuiſſe* (ut obiter emolliam Suarium contrà his verbis opinantem) Auxilium Gratiæ ſufficiens nimini denegari. Ut mens illius diſtinctius percipiatur. Quatuor ejus propono placita. Primum: Parvulos quibus Baptiſmus applicari non potuit, & antequam applicaretur mortui ſunt, caruiſſe Gratiâ ad ſalutem ſufficienti. Secundum: Infideles adultos, quibus nunquam annuntiata eſt Fides eodem Auxilio eſſe deſtitutos. Hæc duo ſunt apud Au-

guſtinum certa, & ſtata. Tertium Fidelibus omnibus ſive Prædeſtinatis ſive Reprobis Auxilia Gratiæ fuiſſe donata, donarique pro ratione voluntatis Prædeſtinantis Dei: & non Prædeſtinantis. De quo nos Theſibus noſtris in Cortina propoſitis. Theſ. 15. & 19. idque inter eos intereſſe, quòd Prædeſtinati accipiant à Deo donum perſeverantiæ, alii autem Fideles non prædeſtinati non accipiant. Quod non minus eſt quam duo priora certum & conſtans. Quartum dubium reddiderunt quidam Authores qui ſentiunt docere Auguſtinum Fideles Peccatores obſtinatos & induratos quatenus in eo ſunt ſtatu, Gratiâ ſufficiente deſtitutos eſſe. Id autem ad ſequentem pertinet quæſtionem.

Quid Authores de Auguſtino ſentiant? Et quidem eum manifeſtè docuiſſe Gratiam non eſſe communem omnibus: imo ex voluntate Dei quibuſdam dari, quibuſdam non dari, atque adeo multos Auxilio, quod appellant *Sufficiens* carere, Maſſilienſes ipſi optimè intellexerunt. Id apparet, primùm ex Epiſt. Proſperi ubi improbant illam *Diſcretionem Eligendorum & Reprobandorum, ut ſecundum quod placuit Creatori alii Vaſa honoris, alii Vaſa contumeliæ ſint creati.* Ex quo ſequebatur negatio Gratiæ rejectis. Huc ſpectat & illud nolle ut iis *objiceretur multitudo Parvulorum*, quos vellent perire non ex defactu Gratiæ, ſed ex prævisione conditionata peccatorum quæ facturi eſſent ſi viverent. Præterea objiciunt Auguſtino, quòd aliter ac Paulus docuit ſentiat, dum aiunt in ſua illa de Univerſali Gratia ſententia. *Non vacillare illud quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri*: perinde ac in ſenſu Auguſtini negantis vacil-

vacillaret. Tandem propoſitum Prædeſtinantis Dei obſtinati inſectantur, ne ex eo meritorum præſcientia, unde malunt deduci totam rationem prædeſtinandi, cauſa eſſe prædeſtinationis negaretur. Idem iiſdem fermè argumentis in Epiſtola Hilarii ad eundem Auguſtinum deprehenditur, quæquia manifeſta ſunt non opus producere.

Ejuſdem eſt cum Veteribus Maſſilienſibus ſententiæ Novorum Semipelagianorum Princeps Arminius, qui cum teneat univerſalem cumiis Gratiam, Auguſtinum ſibi adverſarium fatetur: nam in Examine Prædeſt. Perkinſianæ fol. 581. probans opinionem ſuam adducit locum Pauli *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, & cum unum ex ſenſibus Auguſtini attuliſſet, ut *Deus ſalvare velit omnes ſalvandos*. Reſpondet, *Quid eſt vim facere Apoſtolico textui ſi hoc non eſt? At Auguſtinus ita explicat. Quid tum? Non ſtamus illius authoritate*: & pergit impugnare ipſius expoſitionem, & ſententiam. De Cæteris uno verbo dixerim. Quicunque negant Gratiam Univerſalem, omnes i itum Orthodoxi, tum Heterodoxi conſentiunt Auguſtinum ſe habere patronum. In quibus eſt Eccleſia Lugdunenſis cum illis Heroibus Gratiæ Remigio, Amolone, Prudentio, Lupo Servato, Floro, & aliis quos ſupra commemoravimus. Necnon quos ex Scholaſticis poſtea adduximus: Inter quos acerrimè Cæſar Vaninus ſua illa Exercit. 16. Cujus verba alio commodius loco proferemus.

Eorum qui in alia ſententia ſunt, aliquos nominare illuſtres Authores volo. Principes ſunto Molina in Concordia ſæpe, & Leſſius lib. de prædeſtinatione, & in Apol.

Apol. Accedit vir Graviſsimus Joannes Maldonatus qui plurimis in locis Commentar. in Evangel. fatetur ita Auguſtinum ſenſiſſe. Quem quia Scholaſtico more non ſcribit diſtinctius citare volo. Commentatus locum Joan. c. 1. n. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Sic *Secundam*, inquit, *quæſtionem difficiliorem nobis Auguſtinus reddidit? Is enim contra Pelagianos diſputans, ut ſuam opinionem defenderet. Non omnibus Gratiam dari, non omnes illuminari: Sæpe ita interpretatur hunc locum, quaſi ſenſus non ſit Chriſtum aut re vera omnes illuminaſſe, aut illuminare voluiſſe. Sed neminem niſi per illum illumenari, aut ex omni genere hominum aliquos per illum illuminari. lib. 1. de peccat. m. r. & rem. c. 27. & in Enchir. c. 104*, Et ad locum Joan. 12. n. 32. idem ſignificat, explicans illud *Omnia traham ad me ipſum*, cum ait: *Auguſtinus & Beda notant, non dixiſſe Omnes ſed Omnia, quia non Omnes inquiunt traxit* Nec non eodem cap. 12. Joan. n. 39. & 40. bis indicat Auguſtinum Authorem eſſe *Excæcatis & obduratis non dari Gratiam*: & ad medium. *Hoc unum*, inquit, *dicam cùm Deus excæcare & indurare dicitur, non ſolum ſignificari eum permittere ut homines excæcentur, obdurenturque: non ſolum Gratiam illis, aut non dare, aut datam auferre, ut Auguſtinus docet*, &c. Sed utrum id Auguſtinus docuerit de Artinatis & Induratis paulo poſt dicemus. Satis nunc eſt ſcire quod ſit Maldonati de Auguſtino judicium.

Vaſquez ſummus quidem ille Theologus, & ſeverus ſynceruſque Cenſor affirmat Auguſtinum Univerſalitatem ſufficientis auxilii ſuſtuliſſe. Primum ait, multis Infantibus ſine Baptiſmo defunctis expreſsè.

Ita

Ita 1. p. d. 96. c. 2. n. 5. & 6. nec dubium eſt, cum ipſe Vaſquez idem ſentiat, uti ſuperius diximus. Deinde d. 97. c. 3. 4. & 6. etſi oppoſitam ſequatur ſententiam de adultis, quorum neminem putat, etſi Ethnicum vel Induratum communi Gratiâ carere, affirmat tamen Auguſtinum non omnibus eam adultis concedere: Induratis præſertim, uti patet ex cap. 3. & 4. & 6. ubi *Neceſſe*, inquit, *erit fateri Auguſtinum ejus fuiſſe ſententiæ.* & paulo poſt. *Quocirca ego non dubitarem Auguſtinum ejusque diſcipulos Proſperum & Fulgentium illius fuiſſe ſententiæ.* Nec patitur alio modo Auguſtinum exponi.

In eo tamen à Vaſquez diſſentio, quòd ille affirmat Auguſtinum Induratis Fidelibus negare auxilium: id que ſummà contentione probat, de Infidelibus vero nil apertè quod Auguſtinum attinet dicit. Cum tamen contra ſentiendum foret, cum Suario c. 18. n. 24. quem hac in re oppono Vaſquio. Nam lecto & recognito â me accuratiſsimè Auguſtino invenio, Infidelibus quidem ad quos Fides pervenire non potuit Gratiam eo Authore negatam: quemadmodum ex teſtimoniis argumentiſque adductis videre eſt: & illâ capitali ratione: quod cùm Fides ſit oſtium & initium Gratiæ? quibus ea non detur, ii Gratiâ deſtituantur. Non comperi tamen apud Auguſtinum Fideles quantumvis obſtinatos & induratos auxilio Gratiæ prorſus carere. Idque nos & olim Pariſiis in Cortina, nunc paulo antè lib. 1. de Conſt. Pontif. Innocentii a. 6. probavimus: modò confirmamus. Nam loci adducti à Vaſquez (ſi duos excipias de quibus ſtatim) omnes de Auxili proximo & expedito ad operandum loquuntur: non de remoto,

remoto, & per accidens impedito. Conſtat enim, induratos motibus communibus & levibus pulſibus Gratiæ minimè moveri flectivè: niſi augeantur, & intendantur. Ac ita dicit Auguſtinus, eos non poſſe ad Deum converti, id eſt moraliter, quòd ordinario auxilio non convertantur. Duo autem loci quorum vis eſt major facile exponuntur, modò intelligantur. Primus. *Deum neminem deſerere niſi prius deſeratur.* qui eſt Auguſtin. ſer. 88. de temp. & ſumitur ex lib. de Dono. Perſever & habetur lib. Ad Artic. ſibi falſo impoſitos. Proſperi, & adducitur â Conc. Trident. Seſſ. 6. c. 13. ſi ita intelligatur ut ſit ſenſus *Deſerenti* Deum cùm Gratia Excitante vocat: ideſt non operanti Deus non cooperatur: quemadmodum accipit Vaſquez, nihil omnino probat. Si vero ſenſus ſit. Qui non operatur cum Excitatur à Deo Deus eum ſuâ Gratiâ Excitante privat, uti vult Suarez l. 4. c. 19. à n. 31. etiam non nocet dicendo Deum privare induratum deſerentem Auxilio proximo & expedito, ac uberiore ſine quo non convertetur; nec enim hinc colligitur omni prorſus auxilio privari: ſed eo tantùm quod eſt proximum & expeditum. Quâ ratione brevius opinor, & facilius Axioma illud explicatur, quàm tot tamque diverſis à Suario rationibus eo capite excogitatis quibus illa mens fecunda, ſemper ſcatet.

Alter eſt ille celeberrimus de Pharaone indurato ex libro de Expoſ. Epiſt. ad Romanos, c. 62. de quo nos multa l. 1. q. un. de mente Sum. Pontif. Innocentii a. 4. quorum ſumma eſt Pharaonem induratum fuiſſe, non tamen omni prorſus Gratiâ etiam remotis ſimâ deſtitutum,

ſtitutum, ſed tam eam parum illum moviſſe, ut vix ſentiretur, atque adeo: An ei data fuerit dubitari potuiſſe. Quod ſi Pharao pro illo tempore, quo fuit induratus caruit Gratia, nec peccavit, non inde ſequitur alios item eadem eſſe menſurâ metiendos, quemadmodum eodem articulo ratiocinati ſumus. Illud itaque accipimus à Vaſquio: Auguſtino authore non parvulis ſolum, ſed Adultis quoque auxilium Sufficientis Gratiæ denegari. Quinam vero ii ſint, alia quæſtio eſt, quam obiter expedivimus. Cum Vaſquio neceſſe eſt ſentire ipſius Clariſſimam Scholam Complutenſam, quæ ab eo ne locum quidem vult unguem diſcedere. Nec dubito multos alios ex Patrum Jeſuitarum nobiliſſima ſchola ita ſentire de mente Auguſtini, illos præſertim antiquiores: quorum ego commentarios aſſiduè verſare in ſocietate ſolitus eram: ſed quoniam Londini ſum illorũ non copia eſt nec aliorum ex aliis Familiis, quos ſcio idẽ de Auguſtino judicare. Cum liberius mihi ad ſcribendũ oſtium, tempus que fuerit, non omittam rem hanc exactiùs & minutius tradere. Quanquam exiſtimem, ubi tot teſtimonia, & argumenta cumulavi majore authoritate opus non eſſe.

Negant tamen Auguſtinum hujus ſententiæ authorem fuiſſe primum Hæretici complures. Gerardus Voſſius. l. 7. Hiſt. Pelag. par. 1. theſi. 3. & 4. Marcus Antonius de Dominis. lib. 7. de Repub. Eccleſ. c. 11. Remonſtrantes in Apologia in Exam. Cenſuræ Cap. 17. paulò poſt principum. Catholicorum Authorum omnes ferme qui tenent Gratiam Univerſalem, Auguſtinum pro ſtudio in ſuas partes trahunt: ne tanto Patrono

trono destituti videantur. Id princeps Jesuiticæ Theologiæ P. Franciscus Suarez Tomo 2. de grat. l. 4. c. 19. magna vi & copiâ rationum conatur ostendere. Nec minore contentione idem moliuntur Omnes Antagonistæ Jansenii. Cito eos quos hic potui reperire. Antoninũ Moraines d. 25. & 26. sparsim per totas. Franciscum Annatum in suo Augustino vindicato l. 2. c. 4. & 5. Thomam Augustinum in sua Defensione l. 2. Latissimè præsertim c. 16. quod cum 19. articulis constet per eos ferme omnes persuadere studet suæ, idest de Universali gratia sententiæ, authorem esse Augustinum.

Quâ ratione acciderit nescio, ut Quatuor Patres Jesuitæ totidem aliis opponerentur: ceu,

——— *Steterint teca aspera contra*
Contulerintque manus.

Nec ego me campo credam, qui non *ex illa me gente negabo.* Pares eos in Paria distinctos inter se committam. Spectator, non pugnator esse volo. Sed *si me judice certent*: vincent qui affirmant Augustinum Universalem gratiam circunscripsisse: nec pudebit hac in re tres qui vivunt Morainium, Annatum, Bagocium suis illis tribus priscis Heroibus Maldonato, Molinæ ac Lessio herbam porrigere. De Suario, & Vasquio ita judico: ut in eligendis sententiis Suarius habetur circumspectior, & cautior, ita in referendis accuratiorem, & synceriorem esse Vasquium. Nam Suarius uti erat cereo mollique ingenio, ita Authores ad illud fingebat facilius, accommodabatque; tum ut eorum se patrocinio muniret, tum ut si quid duriusculum in eorum sententiis esse credebat, id explicando & interpretando mol-

molliret: nec tam quid illi dicerent, quam quod dicendum esset ab iis putabat attendibat; & de corum megis, quam verum curabat quanquam quid magis decorum quam quid verum? Vasquez autem uti erat vir acri severo que judicio, ita Authorum sensus syncere pendebat, nec quid ii deberent dicere, sed quid dixissent spectabat, & solius veritatis rationem habebat. Itaque Suarez pius interpres est, Vasquez justus. Utrum lector malit, judicet ipse. Mihi si daretur optio, cum Vasquio verè, quam cum Suario piè interpretari mallem: nec enim pietas est torquere mentes Authorum, & alienos iis sensus imponere. Itaque Vasquio assentior, modo ne dicat Augustinum Induratis auxilium sufficientis gratiæ denegasse. Ejusque judicio censuram Suarii refello. Ac vereor, nedum quisquis quas meliores putat opiniones aliis affingit, omnino decipiatur, cùm meliores sint, quas ij amplexi fuerant.

Tandem adverto Argumenta quibus Suarez & Recentes Societatis Theologi conantur persuadere, Augustinum Universalem illam Gratiam admisisse, tam coacta & detorta esse, ut gemere iniis Augustinus videatur. Imo siquis eos in citatis à me locis attentè legat, & meam hanc lucubrationem cum iis conferat, comperiet, illos vocatos & tractos, deinde formatos & factos; hos vero vocantes & trahentes, atqui adeo natos & germanos videri. Sin refutent ipsos adversarii & cedam. At non cedam quia non refutabunt. Ecquis enim sit qui densam illam locorum & argumentorum aciem Macedonica Phalange & Romana legione validiorem valeat collato pede perrumpere? Eam ego ad-

versariis oppono. Decios agant, seque devoveant: sed decies invadent, nec movebunt.

CAP. XIII.

Argumenta quæ contrariam sententiam Augustini esse arguunt, afferuntur, soluuntur que.

QUod magnum in Augustini authoritate momentum est, præstat quicquid ad Adversariis contra opponitur adducere, ac refellere. Ac ex Suario potissimum, quod vetus & scitus Dux est, petam argumenta; & quod ille non studio impugnandi Jansenium, sed desiderio tenendi mentem Augustini citra stomachum disputavit: non omittam tamen quæ ab aliis antagonistis Jansenii afferuntur proponere, quatenus ad inquirendam veritatem spectant: nec quid ij adversus Jansenium dicant, sed quid contra mentem Augustini hactenus à me expositam adducant curabo, nisi sicubi Jansenium bene de Augustino sentientem castigent: nam tum in Jansenio Augustinum meum vindicabo.

Primo argumentatur Suarez objecto loco Augustini c. 3. l. 1. Retract. c. 10. ubi recognoscens locum c. 3. lib. 1. Genes. contra Manichæos sic: *Illud autem lumen non irrationalium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deum credunt & ab Amore visibilium & temporalium*

lium se ad ejus implenda præcepta convertunt, quod omnes hominum facere possunt si velint. Et adjungit, inquit Suarez, *Non existiment novi hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum: verum est enim omnino omnes homines hoc posse si velint: Sed præparatur voluntas à Domino. Et similia verba* pergit Suarez *repetit eodem libro c. 22. recognoscens alia verba quæ in lib. contra Adimantum cap. 16. posuerat. Nisi quisquam voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet ubi ait: Facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum. Adjungit quod non est contra Gratiam Dei quam prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur de quo dictum est: Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est: sed præparatur voluntas à Domino.* Locum priorem objicit item Moraines. Gaudeo quod quæ objiciunt ad Joannis cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ita exponit Augustinus, ut neget universim de omnibus intelligi, sed affirmet de ijs solum qui illuminantur esse intelligendum: uti supra diximus Maldonato authore: cujus authoritatem Suarii & Morainii authoritati opponimus. Sed ei magnum momentum addimus ex alio loco Augustini lib. 1. de Peccat. mer. & remiss. c. 25. ubi. *Quod*, inquit, *in Evangelio positum est Erat Lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur, nisi illo lumine veritatis quod Deus est.* Respondeo tamen proprie Augustinum

iis

iis in locis aliud egiſſe: nam contra Manichaos diſputans aiebat: naturam ex ſe non eſſe malam, quod ii affirmabant: Sed malam vitio noſtro fieri: & bonam fieri Converſione ad Deum, quod quidem voluntate fiebat, unde conſtabat hanc ex ſe malam non eſſe, cum ſi eſſet naturâ ſuâ mala non poſſet converti in bonam. Hoc erat contra Manichæos. Ne tamen hinc Pelagiani deducerent voluntatem abſque gratia Dei mutari de mala in bonam addidit Auguſtinus hominum omnium eſſe illam poteſtatem, ſi vellent; ſed velle tamen ſine ope gratiæ non poſſe. Unde non concluditur Deum omnibus gratiam dare, quod erat intentum Suarii & Morainii. Sed omnes homines poſſe, ſi detur, quod eſt aliud longè diverſum. Nam certum eſt omnes homines poſſe cùm voluntatem habeant qua poſſunt velle, ſed cum velle non poſſint ſine Gratia, adhuc ſupererat probandum eam omnibus præſto eſſe. Hoc autem non affirmat Auguſtinus. Cujus ſenſus eſt manifeſtus, ideſt homines ejus eſſe naturæ, ut converti poſſint contra Manichæos. Ad id tamen neceſſariam eſſe Gratiam contra Pelagianos. Deerat illud: nemini deeſſe Gratiam, id autem Auguſtinus non dicit. Tantum aſſeruit poteſtatem naturæ phyſicam & remotam, quam negabant Manichæi: negavit autem moralem & proximam, quam affirmabant ſine Gratia Pelagiani. Unde in ſecundo teſtimonio ait, *In poteſtate quippe eſt mutare in melius voluntatem.* Ecce poteſtas phyſica & *Remota*, quæ affirmatur. Deinde ait, *Sed ea poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur.* En. Alia poteſtas data, ab illa alia diſtincta; ideſt proxima, & Moralis. Duas quippe eſſe conſtat.

Nam

Nam, dum ait, *In poteſtate hominis eſſe*, ſupponit poteſtatem unam Phyſicam. Dum addit, *Sed ea poteſtas nulla eſt* ſupponit moralem per Gratiam ſine qua alia phyſica in genere morali boni nil poſſit. Unde illa erat innata: quia in natura erat. Hæc autem erat data à Deo, quia expediebat primam per Gratiam: & proximè potentem efficiebat. Ubi ergo dicit Auguſtinus Gratiam omnibus dari? Imo ex his locis maximè conſtat, non dari cum Auguſtinus dicat, *Eam poteſtatem nullam eſſe niſi detur à Deo.* Quo ſignificat, non eſſe innatam, ſed acceptam à Deo. Itaque adpoſuit illud *Sed* adverſativum naturæ, aiens *ſed præparatur voluntas à Domino.* Quibus verbis ſolet Auguſtinus Gratiam Efficacem deſignare atque hic ſanè hanc indicat in primo loco cum dicit. *Tantum augetur munere Charitatis ut poſſint*: hoc autem pertinere ad efficacem patet: & in ſecundo inquiens. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.* Hos autem eſſe fideles & Prædeſtinatos ſequentia Joannis verba declarant. *His* qui *credunt in nomine ejus qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate Carnis nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ac ita non modo ſolutum prorſus nitidè manet, ſed etiam retortum validè in Suarium & Morainium argumentum.

Confirmatio Suarii ex loco lib. 3. de lib. arbitr. c. 19. relato l. de. nat. & Grat. c. 69. quam quidam etiam ex antagoniſtis Janſenii afferunt, debilis eſt. Namiis locis Auguſtinus de Gratia ad bone vivendum neceſſaria agit, docetque homines, qui & cognoſcunt Deum, & præcepta illius excuſari non poſſe, ſi malè operentur quod certiſſiſtimum quidem eſt: nam hi quibus data

eſt

est Dei notitiâ & legis ipsius, habent jam aliquod fidei lumen, & Gratiâ non carent. Non dicit tamen Augustinus. Omnibus omnino hominibus concedi fidem & Gratiam. Imo juxta Suarium & Theologos communiter dantur homines qui excusantur à præcepto fidei, & aliis multis per ignorantiam invincibilem, ex qua existit Infidelitas negativa: quæ si datur, non omnibus datur Gratia sufficiens, contrà quàm hoc loco ii conantur suadere.

Secundum argumentum Suarii ex istius confirmatione solutum manet; nititur enim eo fundamento quòd homines salvari omnes & servare præcepta possint, atque adeo non stare per Deum quominus & obediant mandatis, & salventur. Quod omnino ex proximè dictis corruit, nam multis sunt homines qui destituuntur fide, & notitiâ præceptorum, laborantque ignorantiâ invincibili, quos non negat Augustinus esse: imo, uti probavimus, affirmat. Sed quia Suarius citat expressam Augustini sententiam, & in suam detorquet volo illam afferre ac expendere. Ea est libri 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. *Ut innotescat quod latebat, & suam fiat quod non delectabat Gratia Dei est: quæ hominum adjuvat voluntates, quâ ut non adjuventur in ipsis causa est, non in Deo: sive damnandi sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi, si Filii sint misericordiæ.* Ex hoc loco potius colligitur deesse hominum voluntatibus Gratiam, quâ juventur, & tantùm ejus rei causam inquiri, quam Augustinus ex parte hominum ponit: quia de illa Gratia loquitur, quæ Efficax est, & supponit aliam inefficacem

cui

cui hominum voluntates non respondérunt, & idcirco eam non meruerunt. Itaque de Gratia sufficiente hic sermo non est, & probatur quia Augustinus loquitur de Gratia illuminationis & suavitatis, quam in ejus doctrina efficacem comperimus, uti patet ex eodemmet capite ad finem. *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur; ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quam vere non de terra ista, spiritaliter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Nimirum de fidelibus loquitur, qui fidei notitiâ & Gratiâ abutuntur per superbiam, quibus illa illustrans, & delectans Gratia a Deo in pœnam ejus Peccati subtrahitur. Id autem clarius exponit, c. 19. *Intelligamus si possumus Dominum Deum bonum, ideo Sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem dilectationem: ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo esse lucem qua illuminantur tenebræ eorum, & suavitatem qua dat fructum suum terra eorum.* Ex quibus apparet de Gratiæ efficacis fidelium defectu, omnium quidem tum Reproborum, tum Electorum eo loco agere Augustinum. Nam si de sufficiente omnibus communi loqueretur, non diceret eâ propter superbiam propriam voluntatum suarum privari, quæ superbia propriè non cadit in barbaros & Infideles inconditos ac rudes. Cujus defectum Augustinus in peccatum originale solet conjicere; quemadmodum suprá ostendimus adducto loco c. 11. lib. de Correpț. & Gratia. *Nunc autem quibus deest tale adjutorium*

rium (ideſt ſine quo non & ſufficiens) *jam pœna peccati eſt.* Quod peccatum Originale eſſe vel Suarez ipſe fatetur; etſi Adjutorium de auxilio ſufficiente Proximo intelligat. c. 18. n. 19.

Alium locum affert Suarez ex q. 2. ad Simplicianum, quem præterire nunc, & in aliud tempus reſervare malo ob eas rationes quas tunc explicabo. Nunc tantum dico eum locum de Eſau ad rem non eſſe: cum Eſau habuerit notitiam Dei & gratiam ſufficientem. Quod autem addit Suarez eodem modo de aliis ſentiendum, ſi intelligat omnes vocari, ut ille vocatus eſt, nego. Si omnes vocatos & non efficaciter vocatos, eodem modo male Gratiæ reſpondere, & tandem perire, concedo. Sed quid inde pro Suarii ſententia colligatur non video. Teſtimonium libri 83. quæſtionum 9. 68. de jam vocatis agit, ac de diſcrimine eorum poſt vocationem, vel repugnando, vel obediendo: quod alienum eſt à præſenti quæſtione. Norit his Lectis Morainius, qui etiam his locis utitur, minus in iis quam putat ad cauſam momenti eſſe.

Tertio argumentatur Suarez ex locis Auguſtini, in quibus docet Deum non præcipere nobis impoſſibilia quia cum præcepto offert Auxilium utique ſufficiens, quia alias non daret poteſtatem, nec faceret obſervationem præcepti poſſibilem: id que probat tribus locis, & poterat multo pluribus probare. Hoc argumentum longiùs petitum eſt, ac ratiocinando potius mentem Auguſtini deducit, quàm inquirit. Non negamus eum dixiſſe, qui cognoſcunt Deum ac legem, eos ad cultum & legem præſtandam teneri, ac iis Gratiam

non

non deesse, quòd notitia illa Dei illuminatione aliquâ quæ est inchoata Fides nitatur: nec de eo ambigere ullus Theologus Augustinianus potest; id negamus affirmare Augustinum ad omnes prorsus, nullo excepto homines, eam notitiam & Dei & legis pervenire, quod non monstrat argumentum. Nec est Suarii doctrinæ consentiens, quemadmodum supra vidimus, cùm admittat cum communi sententia Infidelitatem negativam, & ignorantiam invincibilem: quâ admissâ non datur, nec Peccatum, nec supponitur auxilium sufficiens. Itaque argumento concedimus, cùm sublata fuerit hujusmodi ignorantia adesse Gratiam, imo ad eam tollendam Gratiâ opus esse: negamus vero eam ignorantiam semper, & ab omnibus prorsus hominibus auferri: affirmamus itaque in doctrina Augustini, imo & Theologorum communi, multos esse qui in profunda ignorantia Dei & legis, idest in in infidelitate negativa, & cæcitate legis vivant, & moriantur. Ob eam rationem quam postea afferemus. Unde patet argumentum Suarii tertium deficere.

Quartum & ultimum ita proponitur ab eodem Suario. n. 13. *Quarto*, inquit, *probatur ex illis locis in quibus Augustinus docet Deum velle omnes homines salvos fieri intelligendo distributionem illam absolutè, & simpliciter, ac sine ulla limitatione. Quamvis enim aliquibus in locis aliter exposuerit illam distributionem, quia de voluntate beneplaciti absoluta & efficaci locum exponebat, tamen in aliis admittit in Deo aliquam voluntatem salutis respectu omnium hominum. Præcipuus vero locus quoad hanc partem est lib. de Spir. & Litt. c. 33.* Huic argumento Suarii do manus, si

probet quod aſſumit: nempe ullum eſſe in Auguſtino toto locum, in quo ille Author ſit, illam ſententiam Pauli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* eo ſenſu quem affert Suarius, de omnibus omnino nemine excepto hominibus intelligi. Id enim ego affirmo, nunquam Auguſtinum ſenſum ejuſmodi tradidiſſe. Sed quoniam Suario potius, quàm mihi credetur propter ejus doctrinam & fidem & authoritatem ſingularem, & hic locus Achilles eſt adverſariorum, operæ pretium erit accuratisſimè hac de re agere, ac inſpicere. An Auguſtinus ita ut vult Suarius, eum acceperit. Et quoniam Suarez locos non citat (quod oportebat facere) uno tantùm contentus, quem præciputum vocat. lib. de ſpir. & Litt. volo in aliis Jeſuitis Patribus, qui cum Suario ſentiunt, inquirere, ſi quem alium pro eo ſenſu univerſali citent. Nam id exactisſimè conati ſunt adverſus Janſenium præſtare. Et quoniam duo multum hac in re operæ poſuerunt P. Martinonus, & P. Bagocius. ideſt Moraines, & Thomas Auguſtinus, ij in ſe ſummam hujuſce contentionis ſuſcipient, in ſeque tranſferent, & cumiis ego & cum Suario, etſi unus (illius Romani memor Horatii) ut aliis rebus nequaquam par, ita Auguſtini lectione, haud impar, alacer erectuſque pugnabo.

Igitur dequo certamen inſtituitur id eſt: Utrum aliquo in loco Auguſtinus illum Pauli 1. Tim. 2. locum. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, de omnibus prorſus hominibus nemine excepto intelligat, ita ut ejus ſenſus author ſit. Affirmat Suarez & communiter Antijanſeniſtæ. Ego prorſus nego. Et quidem illi exhibere

bere locos tenentur. Suarez unum. Unum & eundem Morainez. d. 26. 5. 2. n. 10. & 5. S. 1. n. 16. Hunc eundem inculcat Thomas Auguſtinus. l. 2. c. 16. a. 12. & copioſiſſime exponit. Alterum autem indicat eodem cap. a. 8. prope finem, ex Epiſt. 17. ad Vitalem. Nullos alios afferunt, afferre ve in ſpeciem quidem poſſunt. Primum iſtum leviſſime objectum a Thoma Auguſtino refello. Expoſtulans lib. 2. c. 16. art. 12. cum Janſenio quem citarat art 2. ejuſd. cap. quòd dixiſſet ſenſum illum univerſalem loci Pauli eſſe Semi pelagianum; probat non eſſe, teſtimonio Auguſtini. Epiſt 107. ad Vitalem, eoque prolato confutat Janſenij calumniam. Verba Thom. Auguſt. ideſt Bagocij ſunt. *In Epiſt. illa 107, poſtquam, ita explicuit illud. 1. Tim. 2. Quia omnes qui ſalui fiunt niſi ipſo volente non fiunt. Addit & ſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen apertiſſimæ veritati in qua videmus tam multos (ſit mentio de Paruulis ut apparet ex ſuperioribus) volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri. Non ergo damnat noſtram de voluntate Dei antecedente expoſitionem, quemmadmodum contendit Janſenius, ſed eam tacite probat.* Hæc Thomas Auguſtinus. Duo dico: Alterum non debuiſſe Janſenium, illum quem Suarez & Patres Jeſuitæ Clariſſimi Theologi ſequuntur ſenſum damnare, cum errorem nullum contineat. Alterum perperam egiſſe Thomam Auguſtinum utendo illo teſtimonio Auguſtine ad notam illam evitandam: & adjiciendo Auguſtinum ibi ſenſum univerſalem ex voluntate antecedente Dei tacitè probare: cum utrumque ſecùs ſit. Nam illud teſtimonium nullatenus favet, imo maxime adverſatur.

ſatur univerſali ſenſui, illumque prorſus improbat, uti oſtendo. Auguſtinus ibi ſummâ vi impugnat Pelagianos ponentes principium meriti in natura, cujus intuitu Gratia daretur. Abutebantur ad id loco illo Pauli. *Deum velle omnes ſaluos fieri.* Ex hoc enim ſequebatur multos qui naturâ duce (*nec enim omnium erat Fides*) bene operarentur ob id Gratiam accepturos. Quodquàm ſit affine eorum Theologorum placito qui dicunt *Facienti* quod in ſe eſt per vires naturæ Gratiam adeſſe apparet. Auguſtinus, ut errorem illum penitus auferret tollebat anſam errandi, ideſt illum ſenſum loci Pauli: negabatque, quorum non eſſet Fides Gratiam eſſe. Itaque Fidem non omnium eſſe, neque Gratiam, ac proinde Deum *non omnes* ſaluare velle: nec eo ſenſu Paulum locutum, ſed *omnes* dixiſſe pro omnibus qui ſalvantur; quemadmodum aliud *Omnes* apud Paulum. 2 Corinth. 16. *Omnes in Chriſto vivificabuntur* de Omnibus qui vivificantur intelligitur. Quare illud: *Deus vult omnes homines ſaluos Fieri* perinde eſſe: Vult ut Prædeſtinati ſalui fiant, quia nemo niſi quem vult Deus, ſaluatur. Hoc fatetur Thomas ipſe Auguſtinus. Nunc videamus quorſum dicat Auguſtinus. *Ita quod dictum eſt Omnes homines vult Deus ſaluos Fieri, cum tam multos nolit ſaluos fieri, ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalui fiunt niſi ipſo volente non fiunt: & ſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt. Siſtamus* hic. Tria habemus. Deum *nolle multos ſaluos fieri. Omnes qui ſaluantur eo volente ſaluari.* Hunc eſſe Pauli ſenſum. Tum addit. *Et ſi quo alio ſenſu illa ſumatur ſententia.* Non negat alium eſſe ſenſum poſſe, ſed eum vult eſſe, qui manifeſtæ

ſtæ veritati non repugnet. Erat autem iſta veritas. *Deum nolle multos ſaluos fieri*, cui contrarius eſſet ille qui diceret, Omnes Deum velle ſaluos fieri. Auguſtinus igitur ait, ſi alij ſenſus adhibeantur (quos non negat) univerſales non fore: nam hi cum neminem excludant, veritati contradicunt. Vult itaque Auguſtinus ut locus ſit alterius ſenſus capax, ſed non illius, qui omnes omnino homines admittat, quod prorſus Bagoeij argumento contradicit. Rem declaro: locus ille Pauli alios ſenſus habet. Adhibuit Auguſtinus. Poteſt enim de omnibus hominum generibus ac differentijs; Videlicet, *Regibus ſubjectis, doctis, indoctis, maribus, feminis* & alijs explicando illud *Omnes* accommodatè non ad ſingulos, ſed ad genera ſingulorum intelligi. Poteſt retinendo illud *omnes* in propria ſignificatione ita accipi, ut illud *Vult* ad voluntatem noſtram referatur, ac ſit ſenſus *Deus facit nos velle*; ut nos procuremus *Omnes ſaluos facere, ut id ipſum dicamus Deum velle, qui ut nos* velimus *facit* & quod volumus, facere dicitur. Ecce alij duo ſenſus ab illo diverſi, non tamen adverſii experientiæ, qua videmus multos ſaluos non fieri, quæ eſt apertiſsima veritas quam vult ſartam tectamque ſervare Auguſtinus. Primum ergo ſenſum explicans *Omnes* pro ijs qui ſaluantur, tradit Auguſtinus, In Enchiridio. c. 103. & l. 4. cont. Julian. c. 8. & lib. De Sanct. c. 8. & illa Epiſt. 107. Secundum applicans & diſtribuens *Omnes* pro omnibus generibus & differentijs ſingulorum habet in Enchir. c. 105. & l. de Corrept. & Grat. c. 13. & Sermone 37. de Diuers. c. 3. Tertium proponit lib. 22. de Ciuit. c. 1. & lib. de Corrept. & Grat. c. 13. Nullus autem

autem eorum evertit illam apertam veritatem: *Deum multos ſaluos fieri non velle.* Hinc patet adverſus Bagoſſium, ſenſum qui admittat Deum velle omnes homines nemine excepto ſaluos fieri, rejici ab Auguſtino; imo eum ſolum rejici, quòd hic *apertiſſimæ veritati in qua videmus tam multos volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri, contradicit.* Quid autem magis contrarium quam velle Deum voluntate antecedente omnes homines ſaluos fieri? Aut quomodo aliter capi queat Auguſtinus in eo loco ubi negat Deum velle, imo affirmat *Deum nolle* multos hominum ſaluos fieri: idque maxime Paruulorum exemplo confirmat? qui pereunt volentibus Parentibus ut ſalventur, & nolente Deo ut ſalventur, uti Auguſtinus loquitur. Miror P. Bagocium Latiniſſimum virum locum Auguſtini tam perſpicuum, ſecus quam par erat, intellexiſſe. Næ ſiquis eum vacuus & attentus legat, comperiet, eo Bagocij ſententiam refelli, noſtram confirmari.

Venio ad præcipum locum, quem magna vi objiciunt Adverſarij Suarez, Moraines, Thomas Anguſtinus. Dicam ingenuè quod ſentio. *Mortalis* eſt *mucro Glacies ceu futilis ictu Diſſiliet*, cum ad *Arma Cæleſtia* mentis Auguſtinianæ *ventum ſit*. Eam anxiè inquirunt omnes, ſed Thomas Auguſtinus accuratè. Eò mihi exactius, ac ſyncerius agendum. Nam hic utra pars vicerit Romulea eſto. Ne ſim prolixior. Rem explico. Quærit c. 32. Auguſtinus. Unde ſit Fides? *naturâne an dono Dei?* rationem affert dubitandi, ſi naturâ cur non omnium eſt? cum Deus *omnium ſit Creator*? ſi dono Dei, *quare item non omnium, cum* Deus *omnes velit ſaluos fieri?*

fieri? Proponit responsum sustinendo judicium. *Videamus utrum Satisfaciat quæstioni?* Dicere liberum arbitrium datum esse nobis à Deo, & cùm eo nos credamus, quod donum est Dei, Fidem esse donum Dei, cui vocanti respondet arbitrium. Quod autem Deus velit omnes homines saluos fieri illa sua voluntate non cogit, aut necessitat voluntatem. Ita homines liberè credunt, & non credunt, vel ex voluntate, vel contra voluntatem Dei. Deinde digreditur ad probandum. Incredulos qui volenti Deo ut crederent, restiterunt, non vincere Dei voluntatem: cum ab eo puniantur ob Peccatum, quemadmodum justi ob benefacta remunerantur. Ac rursum excurrit largiter circa merita & præmia justorum. Et concludit. *Ita nec arbitrium liberum tollimus, & benedicit Anima nostra Dominum, nec ignorans Dei justitiam suam vult constituere, sed credit in eum qui justificat impium, vivit ex Fide donec ad speciem perducatur. Fide scilicet quæ per dilectionem operatur. Quæ dilectio diffunditur in cordibus nostris nec per sufficientiam propriæ voluntatis, nec per litteram legis, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Summa esto. Fidem esse Donum Dei, non solum quod voluntas credentis est Donum Dei Creatoris, sed quod ipsa voluntas credendi à Deo vocante donatur, quæ etsi donetur à Deo volente Omnes homines saluos facere, non ideo libera esse desinit cum Deus non auferat libertatem. Peccare autem Incredulos contra voluntatem Dei, non elidere, aut eludere ejus voluntatem, quia non evadunt constituta supplicia. Deinde justos ita credere ac operari, ut ex misericordia Dei sint eorum merita, cum tamen sint à propria voluntate. Hâc

ratione, & retineri Arbitrij libertatem, nec evacuari Gratiæ efficacitatem.

Confecta ratiocinatione Augustinus ait cap. 33. *Hæc disputatio si quæstioni illi soluendæ sufficit sufficiat.* Qui modus dicendi videtur esse dubitantis: nec omnino consentientis. Sed pergit dicta confirmare objectione injectâ, contra id quod dixerat principale, nimirum Donum Dei dici posse voluntatem Credentis: quia à Deo creata voluntas. Nam ex hoc sequitur etiam Peccatum esse Donum Dei, quia à Deo Creatore est voluntas Peccantis. Cui respondet, multum inter utranque voluntatem intereſſe: quod Peccatum non est a Deo incitante. Sed à solo arbitrio. At Fides non est à solo Arbitrio, sed a Deo vocante & movente: atque adeo agente & operante Fidem, Ita *Deus movet Homo: consentit. Nam consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est?* Et ne videretur homo posse de Consensu gloriari, quasi eum à Deo non acceperit contrà Paulum dicentem. *Quid autem habes quod non accepisti?* Occurit Augustinus. Ex eo quòd homo consentiat gloriari no posse, quasi non acceperit, cum id quod datur ideſt virtus ipsa Fidei, Dei sit Donum, quia ab eo donatur, & ipsum naturale Arbitrium, quod accipit et habet Fidem, sit etiam à Deo Creatore donatum. Quoniam vero errare poterat aliquis putando rationem consentiendi Gratiæ in quo erat discretio à dissentiente, provenire ab ipsa voluntate consentientis, non à majore Gratia vocantis Dei, occurrit: illud ad Dei Arcana, ideſt Misericordiam, & Judicium pertinere; quo significat, illud discrimen à Deo vocante non ab homine provenire: proindeque nihil

nihil esse in homine de quo possit gloriari. Audiamus Augustinum caput 33. concludentem. *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suaderatur, ut persuadeatur; illi autem non ita? duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat. O Altitudo divitiarum: & Numquid iniquitas apud Deum? Cui responso ista displicet quærat Doctiores, sed caueat ne ueniat Præsumptores.* Qua respondendi ratione obstruit ora ijs qui in ipso met humano Arbitrio trahente ad se, & attemperanti sibi Gratiam indifferenter se habentem, discretionem unius ab alio collocant, & omnino aiunt Gratiæ efficaciam ab ipso consensu liberi arbitrij, id est ab Effectu, desumi.

Expositâ Augustini in his capitibus doctrinâ vere opinor ac plane, assentior Suario & alijs Clarissimis Theologis Jesuitis, quos vehementur & amo & colo, Augustinum propriam hîc suam, non alienam sententiam tradere. Fateor tamen nihil ab ea timendum esse alijs locis sententiis ve Augustini; atque adeo neque solenni huic loci Paulini interpretationi. Nihil est enim in ista ratiocinatione â nostris Augustiniano Filo evoluta, quod cogat eam in dubium vocare. Expendo verba. Ea sunt vel in objecto, vel in responso. In objecto. Dum quærit: *Si dono Dei quare non omnibus? Cum omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* In responso dum ait: Non tolli liberum arbitrium ex eo quod Deus velit saluare homines vocando illos, quia per illam voluntatem & vocationem Dei non aufertur libertas hominum, qui vocantur, sive consentiant, sive dissentiant. *Vult autem Deus, non sic*

tamen ut ei adimat liberum Arbitrium. Video Augustinum In objecto proposuisse aliquid favens sensui de voluntate Dei Universali. Nam ita proponit rationem dubitandi: Cur non sit *Omnium Fides?* ut supponat *Deum velle ut omnium sit Fides.* Sed argumentum a se sibi objectum, non est ipsius sententia Augustini; nisi forte quæ sibi quis ratiocinando opponit, ea ipse probat & sequitur. Itaque in objecto nihil est quod repugnet manifestæ ac perpetuæ Augustinæ sententiæ. Pergo ire ad responsum. Augustinus nullo modo respondet testimonio Pauli quoad sensum numeralem Omnium, an Aliquorum; sed eo omisso transit ad alium sensum principalem. *Unde esset Fides?* quæ erat præcipua quæstio. Nam duo quærebantur? alterum principaliter *Unde esset Fides? A nobis? an a Deo?* Alterum obiter. *Cur non erat omnium ista Fides?* Omissâ istâ secundâ. Primæ duntaxat Augustinus respondet. Vide, ait *Prius illud dicamus, & videamus utrum huic satisfaciat quæstioni.* Cui Quæstioni? *Unde sit Fides? A nobis An à Deo.* Et ita respondet Augustinus, ut disputando magis & experiendo, quàm asserendo & definiendo procedat. Nam proponit eum modum dicendi, quem postea correxit; & nunquam absolute probavit. Scilicet. *Fidem Dei donum esse, quòd quanquam nos voluntate credamus, cùm hæc sit accepta à Deo, hâc ratione sit donum Dei.* Id confirmat subjungens ex objectione, *Deum ita velle omnes salvos fieri*, ut non cogat eos, nec ijs adimat libertatem. Jam apparet in quo sensu accipiat testimonium Pauli; nempe in alio, idest libertatis retentæ, non universalitatis affirmatæ. Cum utatur tantum testimonio Pauli ad probandum, Ex

voluntate

voluntate *Dei volentis omnes homines ſaluos fieri*, non lædi libertatem eorum, quod pertinebat ad quæſtionem Principalem *Vnde ſit Fides?* Cui Auguſtinus reſpondet & reſpondendo applicat, & explicat verba Pauli ne officiant libertati. Uti ex ſenſu loci apparet. Non eſt igitur cur eo nos urgeant adverſarij, cum nil Auguſtinus de univerſali Dei erga omnes voluntate loquatur; ſed utcumque iſta ſe habeat, quod in medio relinquit, id tantùm affirmat non lædi per eam humanam libertatem.

Sed opponent: Auguſtinus objiciendo ſuppoſuit Senſum univerſalem eſſe, & reſpondendo non negavit, ſed eo ſuppoſito ad alium ſenſum deflexit; igitur illum tacitè probavit. Reſpondeo Auguſtinum nec objiciendo, nec reſpondendo ſuæ ſententiæ nocuiſſe, ſed judicium ſuum ſuſtinuiſſe circa univerſalem voluntatem, quòd ea non erat ad rem de qua diſputabat. Patet in objectione; quia Quærendo *Cur Deus, cum velit omnes homines ſaluos fieri, non dat omnibus Fidem?* adhuc erat locus reſpondendi, quia illud *Omnes* non ſumitur in ſenſu univerſali omnium & ſingulorum: ſed in ſenſu diſtributivo pro omnium hominum generibus & differentijs. Unde licet objectio illud ſupponat, non cogit accipiendum eſſe ab reſpondente. Jam vero in reſponſione, cùm ad aliud Auguſtinus deflectat, nil intererat utro ſenſu illud *Omnes* ſumeretur ad aſſerendam libertatem, de quo Auguſtinus agebat, quid enim referret *Omnes* ne vocarentur? an non? cum quicunque vocati eſſent, nihil libertatis amitterent. Id quia vidit Auguſtinus ſuſtinuit judicium circa ſenſum numeralem, tulit ſupra naturalem

turalem. Addo Augustinum hic c. 32. tentando & experiendo ista dixisse. Unde cap. 33. Finita ratiocinatione. *Hæc disputatio si quæstioni illi soluendæ sufficit sufficiat.* Perinde ac non omnino sibi satisfaceret: & rem in medio relinqueret. Removit tamen objectionem Peccantis voluntatis, ne Deo tribueretur, quod voluntas à Deo data esset, & occurreret Pelagiano errori dicens: *Attendat & videat* non ideo tantùm istam voluntatem credendi esse divino muneri tribuendam, quod naturalis voluntatis facultas à Deo sit creata, sed etiam quòd a Deo excitata & mota sit: ita ut cùm ex duobus excitatis unus venit, alter non venit, ratio ejus rei sit ad judicia divina, non ad voluntatem humanam referenda. *O Altitudo divitiarum?* Unde ceu illa disputatio imperfecta maneret in capite proximo, ideſt hoc ipso 33. adjecit, quod ad illam perficiendam & confirmandam pertinebat. Unde constat, nisi hoc adjecto perfectam non esse, imo neque suffecturam, quod hæc duo deessent: nempee moveri a Deo voluntatem, & ita moveri ut apud Deum esset ratio discernendi. Quod si in principali quæstione Augustinus disputando sustinuit judicium, quomodo in alia quam obiter tetigit & tactam omisit certam illius voluntus habere sententiam? Mihi ea est quærenda ubi Augustinus eam sæpe tantâ asseveratione ac perspicuitate expressit, ut qui neget Solem è mundo tollere videatur. Locos supra dedimus; omnium instar sit quem solitarium & integrum ex lib. 4. cont. Julianum adduxi: adde alium ex Epist. 104. s. qui satis sunt ad sententiam adversariorum confutandam.

Verũ enim vero præstat eum non solum vindicare, sed etiam

etiam retorquere. Ac Primum. Ex eo probare non possunt Deum voluisse omnes omnino homines saluare, nam Paruuli non possunt hâc sententiâ Augustini comprehendi. Cùm de adultis tantùm, & qui voluntate propriâ credunt, loquatur. Patet ex tota ratiocinatione, & luce clarius est. Unde manca est & inutilis eorum interpretatio *Omnes* ad *Omnes* omnino excepto nemine pertinere : cùm ad Infantes non extendatur. Præterea ex Adultis, ad vocatos tantùm à Deo per Excitantem Gratiam pertinet, ac liquet ex eo quod ait, Augustinus *vocante Deo hominem surgere* de libero arbitrio, nec liberum tamen arbitrium auferri; quod monet Augustinus, ut de virtute vocationis quâ vocantur, constet : quæ talis est, ut opus de easit animadvertere, non adimere libertatem. Deinde ait : *Infideles contra voluntatem Dei facere, cum ejus Evangelio non credunt.* Dehis ergo solis quibus Fides annunciatur, non de alijs quibus nunquam innotuit, mentionem fatit. At ea Augustini sententia est, quibus nunquam innotuit Fides, eos omni Gratiæ Auxilio carere. Unde sic argumentor : Augustinus positâ illâ Pauli sententiâ de Deo saluare omnes volente generali, postea cum eam applicat & dittribuit, Illos duntaxat quibus prædicata est Fides comprehendit, non autem alios, aut ex Adultis Infideles, aut ullos ex paruulis : Igitur censet. Terminum illum *Omnes* non eo sensu, qui omnes & singulos homines, sed alijs quos adduximus, & maxime sunt idonei, accipiendum.

Hæc est germana Interpretatio loci, quo nos terrere volunt contrariæ sententiæ Authores; ac ex ea patet, quàm infirmo argumento nituntur, nec eo posse tam al-

ta,

ta, tamque firma fundamenta convelli. Quòd ſi locus ambiguus eſſet, & trahi in contrariam ſententiam poſſet, næ unus ille ac fluxus ſatis non eſſet ad tot tamque perſpicuos, & inſignes locos refellendos. Imo is ad illorum ſenſum formandus, & exponendus. Itaque Janſenius, & ſectatores inani formidine perculſi locum interpretando alieno, ideſt Pelagiano nomine, non obſcurarunt modò, ſed etiam perverterunt. Auguſtinus in eo loquitur: Agnoſco vocem, & percipio mentem: nec ab ejus quicquam doctrina & ſenſu diſcrepans, diſſentiens ve comperio.

Quod autem Auguſtinus locum Pauli aliter quam ſolet accipi a pleriſque, qui univerſim ad omnes omnino (nemine excepto) volunt extendi, ideſt tribus illis quos ſupra commemoravi ſenſibus, intellexerit, nec ad univerſos pertinere voluerit; id nos alias ſæpè monſtravimus. In Cortina ſæpe, tum in Conclus. tumin probat. earum & 1. tomo. tract. de Bulla Pontificia, q. un. art. 6. & communiter docent Interpretes ad eundem locum Epiſt. 1. Timoth. 2. & Patres Lugdunenſis quos ſupra citavi. Scholaſtici omnes id fermê fatentur tum Scotiſtæ ſecuti Scotum in 1. d. 46. q. un. ad 1. & Bonavent. in 1. d. 46. a. 1. q. 1. tum Thomiſtæ cum D. Thoma. 1. p. q. 19. a. b. ad 1. tum ex Patribus Jeſuitis non pauci ingenuè id fatentur: præcipue Interpretes Pauli, qui rem ſerio & citra argutias ſolent expendere. Pro Scholaſticis ſufficiat unius, cujus magna eſt apud me authoritas, Vaſquij teſtimonium, 1. p. d. 83. c. 1. ubi ſic: *Auguſtinus teſtimonium Pauli, 1. ad Tim. 2. Deus vult omnes ſaluos fieri, nuſquam explicat de voluntate beneplaciti, quæ re*

verà

verâ in Deo ſit circa ſalutem omnium hominum, ſed tribus aliis modis quibus plane eam bene placiti circa omnium ſalutem negat. Multum debeo Societati Jeſu quæ me educavit, & erudiit, quòd mihi adverſus quorundam, Recentiorum præſertim, tela, aliorum Antiquiorum clypeos ſuppeditat, quibus ea retundi poſſint. Etenim contra ſententiam Bagocij. l. 2. c. 16. art. 8. ajentis Auguſtinum tradidiſſe Deum voluntate antecedente voluiſſe omnium hominum ſalutem, Vaſquij id ipſum negantis authoritatem oppono. Ideſt Ægida vel Ægeoni. Vaſquio adjungo alterum ex alia Schola Patronum, quem magni facio, Didacum Aluarez, l. 5. d. 33. inſignem Thomiſtam. Ex alijs idem affirmat Auguſtini Fidus Achates Gregorius Ariminenſis, in 1. d. 46. q. 1. & Guilielmus Eſtius in Paul. & in 1. d. 46. ac præcipue Cæſar Vaninus Exercit. 16. ubi acerrime tuetur ſententiam negantem Univerſalem Gratiam; & impugnat ſententiam affirmantem; & diſtinctionem illam voluntatis Complacentiæ, & Efficaciæ (ſic vocat) quâ nititur explicatio loci Pauli explodit: & hanc dicit, eſſe Auguſtini ſententiam; nec ſolum eſſe dicit, ſed ſupponit id extra controverſiam eſſe.

Volunt tamen Antagoniſtæ Janſenij Proſperum & Fulgentium univerſalis voluntatis, divinæ, & ſecundū eam Gratiæ cum Auguſtino fuiſſe Authores. Sed omnino falluntur. Quanquam enim multo certius ſit Auguſtinum illa duo negaſſe, & locum Pauli reſtrinxiſſe, uti m n ſtravimus certum eſt tamen duos illos fidiſſimos Diſcipulos negando cum Magiſtro ſuo ſenſiſſe. Uterque enim locum Pauli *Deus vult omnes homi-*

nes ſaluos fieri, non patitur univerſaliter accipi. Perſpicuè Proſper in Epiſt. ad Ruffinum. *Et ubi eſt illud*, inquit, *quod noſtri quaſi contrarium à non intelligentibus ſemper opponitur: Quod Deus vult omnes homines ſaluos fieri? Opponitur*, igitur contra ſentiebat de univerſali Gratia Proſper. Quod autem non intelligentes dicit eos, qui univerſaliter capi locum volunt, ſumpſit ex Auguſtino Epiſt. 107. ad Vitalem: ubi ait, qui de omnibus omnino locum exponunt, eos *Non intelligere qua locutione ſit dictum, Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Proſpero concinit Fulgentius, lib. de Incarnat. & Grat. c. 29. eodem tono verborum. *Illud vero Apoſtolicum ubi dicitur: Qui vult omnes homines ſaluos fieri, non ſicut oportet intelligunt qui hanc Dei voluntatem ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant.* Et quanquam Pater Bagocius enixiſſime ſtudeat duos hoſce Auguſtini Diſcipulos in partes ſuas ab Auguſtino prorſus diverſas trahere, Illius *omnis Effuſus labor atque inventos cura receſſit.* Et quidem de Fulgentio patet, tam enim fluxa eſt ea, qua illum ad ſe flectere conatur lib. 2. c. 16. art. 13. interpretatio, ut perſe corruat, ac opus non ſit convellere. Legat qui volet & me videbit. Majoribus machinis Proſperum oppugnat. Sed oportebat hunc quem produximus quatere locum, non eo integro immoto que alios concutere. Sed cum hoc non potuerit, dum oppugnat alios, inexpugnabilem hunc eſſe fatetur. At opponit Proſperum Proſpero: non decebat niſi prius illo priore explicato loco, ne, dum eum integrum relinquit committere ſecum Proſperum videatur, ut idem adverſum ſe ipſum pugnet. Et quidem quod art 13. affert

fert ex Epiſt. ad Ruffinum, non rejici à Proſpero interpretionem Semipelagianorum, quatenus aſſerebat voluntatem Dei erga omnes: ſed initium meriti ex nobis: id ab ipſa ratiocinatione Proſperi abhorret: nam utrumque rejicit manifeſtè: nec opus eſt niſi lectore. Locus ex Reſponſione ad capita Gallorum c. 8. qui eſt invictus in Proſpero ibi negante voluntatem Saluantis Dei ad omnes extendi, non eluditur commentatione Bagocij: nam eo capite nunquam dicit. *Omnibus Gratiam dari.* Sed ſumnum dicit. *Deum omnium Curam habere*: Quod non eos excluſerit a Providentiæ ſuæ ratione, ſed diverſo ijs modo proviserit quoſdam vocando, ad Evangelium, quoſdam ad Legem, quoſdam ipſi naturæ relinquendo, ideſt, *Infideles* quos à Gratia excludi oſtendit, cum ait: Infidelitatem eorum ipſis adſcribendam eſſe hominibus, ob peccatum ſcilicet Originale; ceu ratio iis aſſignanda eſſet, non Deo, quæ eſt ipſius Auguſtini ſententia. In eo autem, quod dicit: *Eos infideles manſiſſe*, ac ipſis attribuendam infidelitatem, docet eos omni Fide cujus oſtium Gratia eſt, caruiſſe: nam ſi Fide, & Gratiâ quoque caruerunt.

Alterum de Chriſto Redemptore, quem ſibi opponi dicit, locum, non rectè ad ſuum de univerſali Gratia ſenſum revocat Bagocius; cum ex Reſponſione Proſperi conſtet; ita Chriſtum pro omnibus mortuum, uti nos cum Vaſquio, 1. p. diſput. 96. c. 2. & 3. ſæpe explicavimus, quin admittamus univerſale Auxilium, cum ex eo quod pro omnibus mortuus ſit Chriſtus, non ſequatur omnibus Auxilium ſigillatim dari.

Jam verò ſententia Proſperi ex object. 1. &. 2. Vin-

centiana minus proficit quam putat: nam ea procedit *remota discretione* Prædestinatorum & Reproborum; quâ suppositâ ait: Deum velle omnes homines saluos fieri, eo sensu, ut nostrâ operâ (qui illam discretionem ignoramus) iis salutem procuremus: qui est unus ex sensibus Augustini negantis universalem voluntatem. Et nos quidem possumus velle, ut omnes salui fiant, quia ignoramus illam discretionem. Deus autem qui illam & fecit & novit Authore Augustino, tantùm velle potest, uno e sensibus ab eo prolatis, & a nobis commemoratis.

Quod attinet ad librum de vocatione Gentium, video in eo locos esse difficiles: sed non idcirco mutem de Prosperi mente judicium, cum non admodum constet librum ejus esse authoris: ac ut sit, judicem testimonia esse suspecta; quod ait Vasquez. 1. p. d. 97. c. 3. n. 10. præsertim quoad Infantes in uteris matrum exstinctos, de quibus ille sentit omni prorsus auxilio destitui, uti patet libro de Ingratis cap. 20. & 21. & observat Vasquez. d. 96. c. 2. n. b. ad 4. testimonium Augustini. Parag. *Praterea* in fine. Itaque quod Vasquio placet probo, & cum eo constanter nego Prosperum in opposita fuisse sententia, malo que Vasquio neganti credere, quam Bagocio affirmanti. Nec juvat hac in re diutius immorari: cum mihi de Augustini judicio agenti, quid ille senserit (sensit autem non dari omnibus sufficiens istud, quod vocant Auxilium) omnino compertum & perspectum sit.

CAP.

CAP. XIV.

Propoſita Cap. ix. Pro univerſalitate Sufficientis Auxilij argumenta ſoluuntur, & Quæſtio tota reſoluitur.

ETſi decurſu diſputationis difficultates anteà objectæ magna ex parte ſublatæ ſint: quia tamen & perſpicuitatem amo, & Scholaſticam ſcribendi methodnm probo, operæ me pretium facturum puto, ſi quo ordine argumenta objci, eo diluam, & diluta exhibeam. Eorum quædam authoritate, quædam rationibus nixa. Illa explicanda, hæc expedienda.

Joannis primùm authoritas adducta, c. 1. n. 9. *Iluminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Huic jam ad mentem Auguſtini reſpondimus, eodem modo intelligi illam particulam *omnem* quo apud Paulum *omnes* in loco Timothei, Diſtributive, *Pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum.* Nam non ſemper ille terminus *omnes* univerſaliter pro omnibus omnino accipitur: imo neceſſe eſt interdum, non accipi univerſaliter, uti apud Paulum ad Roman. 5. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Auguſtino ipſo ſæpe interprete: præcipue autem Epiſt. 89. ad Hilarium ubi ſic. *Et hic omnes dixit, & ibi: non quia omnes homines venirent ad Gratiam juſtificationis Chriſti, cum tam multi alienati ab illo in æternum moriantur: ſed quia*

quia omnes qui renaſcuntur in juſtificationem, non niſi per Chriſtum renaſcuntur, &c. Hac ratione intelligendam eſſe ſententiam illam Joannis docet, & ibi, & alibi ſæpe Auguſtinus: Do locum unum ex multis. lib. 1. de Peccat. meritis & remiſſione c. 25. ubi ita: Illud quod in Evangelio poſitum eſt: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ideo dictum eſt, quia nullus hominum illuminatur niſi illo lumine veritatis.* Quem citat Maldonatus in Joannem, his verbis. *Auguſtinus ſæpe ita interpretatur hunc locum quaſi ſenſus non ſit Chriſtum, aut re verâ omnes illuminaſſe, aut illuminare, ſed ex omni genere hominum aliquos per illum illuminari.*

Secundum Petri teſtimonium. Epiſt. 2. c. 3. n. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire: ſed omnes ad Pœnitentiam reverti* non urget, nam ad quos Petrus ſcribit, erant ex vocatis, quorum neminem perire vult Deus cum eos vocaverit; & patet, quos non vult perire eos ex illorum numero eſſe, quos vocarat: ait quippe *Omnes ad pœnitentiam reverti.* Quod ad eos pertinet, qui poſt vocationem peccarunt.

Tertio Pauli 1. Timoth. 4. Trifariam reſpondetur. Uno modo interpretando Deum omnes homines conſervare benificio Creationis: Fideles autem beneficio Redemptionis affeciſſe: ut ſermo ſit de Deo, non de Chriſto. Altero (admittendo loqui de Chriſto) *omnes homines ſaluare Chriſtum voluiſſe* noſtrâ operâ. Fideles præcipuè, ut cum per nos omnibus conſulendum ſit, præcipue tamen curam Fidelibus impendamus. Tertio Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, uti ſupra diximus, non tamen inde ſequi omnibus hominibus

bus Gratiam datam: nam potuit pro omnibus mortem offerre, nec tamen â Patre pro omnibus acceptari, quemadmodum ſæpe expoſuimus cum Patre Gabriele Vaſquez. 1. p. diſput. 96. c. 3. Aliud enim eſt eſſe *Salatorem omnium*, aliud ad omnes ſalvationis beneficia perveniſſe.

Quartus locus hic ipſe eſt Pauli Celebris. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Quem aliter intelligendum eſſe, cum Auguſtino tot prolatis ſentibus demonſtravi. Ad rationes venio.

Prima quæ à Φιλανθρωπία, & benignitate Dei ſumitur, ſoluitur, dicendo eam propriam eſſe Dei, cùm non intercedit juſtitia, quæ jus ſuum exigit à Peccatoribus. Itaque Deum ante prævisum Adæ peccatum, omnes homines voluiſſe ad ſalutem perducere; nam tunc erat ſtatus Innocens, & integra Cauſa naturæ: at poſt prævisum Peccatum Adæ, quo totius naturæ maſſa corrupta odium Dei meruit, mutato ſtatu, Cauſâ cecidit Genus humanum: & juſtitiæ locum, & iræ fecit; atque adeo cum omnes damnationem incurriſſent, miſericordiam exercuit Deus, ut juſtitiæ ſuas partes daret. Unde qui Electi, miſericorditer diſcreti: qui non electi, juſtè derelictiſunt: Secundum illud Prophetæ *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine* Miſericordiam pro liberatis, judicium pro derelictis. Neque vero Philantropiæ defuit Deus, nam cum omnes damnati eſſent, maluit tamen aliquos ſervare, quàm omnes perdere.

Secundæ ab Æquitate Dei petitæ reſpondetur: illam rationem Æquitatis ſervatam à Deo pro conditione ſtatuum: in primo enim æquitas poſtulabat, ut omnibus

bus præſtò eſſet Gratia, quòd Gratiæ ſtatus erat: at in ſecundo æquitas exigebat, ut omnes damnarentur: quòd ſtatus Peccati erat. Sed intercesſit miſericordia, & novam induxit æquitatem: detraxit enim de illa integritate juſtitiæ, parcens quibuſdam, quia ſic voluit ex pietate, non parcendo aliis, quia non debebat: Itaque admiſsâ miſericordiâ non ſuſtulit æquitatem. Quare etſi conferendo perſonas inter ſe, non videatur ſervata æquitas, tamen comparando Perſonas cum ſtatu in quo erant æquum videbitur, ut quædam maneant in ſtatu damnationis ad ſatisfaciendum juſtitiæ: imo ſi omnes ſalvarentur, æquitatis ratio ſpectatâ conditione ſtatûs tolleretur. Igitur ad eam ſuſtinendàm æquum erat, ut non omnes ſalvarentur. Confirmatio ab exemplo naturæ communis omnibus, in Gratiam non quadrat, quæ cum ſupra naturam ſit, non debet leges naturæ ſequi; imo ſi eas ſequeretur, & inſtar naturæ eſſet, Gratia non eſſet. Itaque, quæ in Gratia æquitas per modum naturæ exigitur, cum eâ nequit gratia conſiſtere. Idcirco Gratiam Auguſtinus, ac Diſcipuli ſemper naturæ oppoſuerunt: quemadmodum ſuprà oſtendimus.

Tertia diluitur diſtinguendo duos ſtatus, & juxta eos duo genera Providentiæ. Nam in primo Innocentiæ, non deeſſet Providentia Gratiæ, quæ illius ſtatûs propria erat: at in ſecundo Ruinæ, cùm ejus ſit proprium peccatum, & privatio Gratiæ, non eſt locus illi Providentiæ: ſed alteri compoſitæ ex miſericordia, & judicio. Itaque ad miſericordiam pertinet, ut aliquibus Gratia donetur; ad judicium, ut aliquibus negetur.

Imo

Imo si aliter fieret, non constaret justa ratio Providentiæ: quemadmodum, si ubi sunt Innocentes deessent præmia, & ubi nocentes deessent supplicia, aut si promiscuè & præmia, & supplicia omnibus decernerentur, Providentia tolleretur, ita si in statu Innocentiæ non daretur omnibus Gratia; & in statu Ruinæ nulla esset pæna privationis Gratiæ, sed omnibus omnino daretur, non esset idonea ratio Providentiæ. Exemplum volatilium; & liliorum non est ad rem: nam illa nutrire, & hæc vestire pertinet ad naturæ conditorem; at concedere Gratiam est supra naturam & pertinet ad Salvatorem. Dandum exemplo illud: Deum nulli homini etsi malo quæ naturæ sunt propria denegare, quod sane evincit similitudo: at negandum eandem esse & naturæ & Gratiæ rationem.

Quarto satisfit cum distinctione Majoris, quæ assumpserat Omnem hominem ad finem supernaturalem esse destinatum: si intelligatur de prima hominis conditione ante Peccatum, concedenda, neganda vero, si de secunda post Peccatum accipiatur: nam in hac sumitur homo uti lapsus ab eo primo statu, & à fine illo dejectus, ratione Peccati, quod obstitit Intentioni destinantis eum ad finem supernaturalem. Unde necesse est ad illum iterum dirigi per misericordiam Dei, quæ non est debita omnibus, sed pro voluntate Dei misserentis quibus vult, gratis tribuitur. Unde, & quibus Deus finem destinabit, ijs, duntaxat media providebit.

Quintum à Redemptione universali petitum non indiget solutione cùm toties animadversum sit a nobis, multùm interesse inter Redemptionem universalem,

& Gratiam univerſalem : nam ut Chriſtus ſit mortuus pro omnibus, ſatis eſt obtuliſſe mortem ſuam pro omnibus, humanâ ſuâ voluntate : quæ ſi non acceptaretur à Patre, non ſequiebatur ex ea Gratia univerſalis, quæ ex Divina voluntate pendebat. Unde etſi admittatur Chriſtus (quod fatemur) omnium eſſe Redemptor, non infertur omnibus Gratiam conferri quemadmodũ & in Cortina ſæpe, & in Mente Innocentij & ejus Apologia diximus cum Vaſquio. 1. p. d. 96. c. 3. præter alias quas ibi adduximus rationes, quibus ea Propoſitio vera ſit, nec tamen involvat conſequentiam Gratiæ univerſalis.

Venio ad duo pro communi Adultorum Gratiâ, quæ invicta creduntur argumenta, quibus dant manus quicunque in alia ſunt ſententia, adeo ut propter ea ſuam certam ac exploratam, oppoſitam falſam omnes, quidam etiam ſuſpectam putent. Ea ego perſpicuè ac nitidè, imo & facilè ſolvam, & præter expectationem luce infuſâ nubes difficultatum, quibus res tota obvoluta hactenus fuit, penitus diſſipabo.

Primum de lege naturali & præceptis, eorum que obſervatione ſic ſolvo. Concedo legem eſſe naturalem, & præcepta lumini naturæ conformia. Deinde concedo, qui illius & præceptorum notitiam habuerint, eos teneri illa ſervare, atque ad id Gratiam habituros? Nego tamen ad omnes hanc notitiam pervenire : affirmo que multos eſſe barbaros, quibus nunquam in mentem venit legis, aut præcepti, nec de illa, re quicquam cogitarunt : hos autem non teneri lege, vel præceptis planè conſtat : atque adeo Gratiâ ad ſervanda illa carere. Da-

ri

ri vero eos barbaros non dubito, qui ſæpius & legerim & audiverim (uti antea dixi) inventos fuiſſe, qui beſtiarum more, vitam degerent, & qui nullo non modo Divinitatis, ſed humanitatis etiam ſenſu tangerentur, qui in denſiſſimis ignorantiæ tenebris nati, in ijſdem adulti nulla Dei cognitione, aut imbuti ſunt, aut inſtituti, qui aut nullum Numen aut certè idola vaniſſima, uti a majoribus acceperunt, adoranda putent, & nihil niſi caducum, & mortale cogitent, parumque à Feris quibus immiſti, imo ne ſatis quidem a Rupibus, quibus tanquam nidulis affixi vivunt, diſtare videantur. Quod ſi quis elegantiùs fortè, quam verius dictum exiſtimet: auſcultet Theologicæ rationi, jam à me antra indicatæ. Datur infidelitas quædam negativa, quæ eſt neſcientia Dei, omnino inculpabilis; in hac igitur, qui vivat & moriatur, non tenebitur aliqua lege aut præcepto, atque adeo Gratiâ deſtituetur. Major aſſeritur à pleriſque Theologis in materia de Fide, & de Ignorantia: quibus authoribus conſtat dari Infidelitatem negativam cum invincibili ignorantia, imo & neſcientia, quæ omnino eſt expers Peccati. Ita ex Divo Auguſtino D. Thomas 2. 2. q. 1. a. 1. & abſolute q. 10. a. 1. & ibi interpretes. Hac autem datà ſequitur qui non habet notitiam Dei quæ eſt ſumma & maxima ignorantia, omnis prorſus legis, ejuſque præceptorum notitiæ expertem fore: atque adeo ad obſervantiam nec teneri, nec omittendo, aut committendo quicquam peccare. Id enim certiſſimum duco, cum Ignorantia Invincibili Peccatum ſtare non poſſe: quemadmodum dilucidè & copioſè oſtendi in mea Cortina quæſt. un. de neceſſit & libert. Peccandi:

candi. In eo que vehementer à Janſenio, Janſenianisque diſſentio.

Igitur ſi ad Deum colendum (quo nullum eſt convenientius naturæ juſtiusque præceptum) non datur notitia, nec ad illam Gratia, ſequitur ad alia item minimè dari: atque adeo multos homines lege ac præceptis ex ignorantia non teneri: & conſequenter omni Gratiâ deſtitui. Idque tenentur fateri authores qui impugnant negationem Gratiæ univerſalis, cujuſmodi ſunt Antijanſeniſtæ, contra quos ego argumentum retorqueo: nam cum de peccato Ignorantiæ loquuntur docent contra Janſenium, cum ignorantia invincibili non poſſe componi peccatum, & aſſumunt ad id probandum dari Infidelitatem negativam, & omnimodam ignorantiam Juris naturalis, uti Moraines d. 16. S. 1. & ſeqq. & Annatus l. 6. toto. Unde adverſus eos argumentor. Qui in ea ſunt ignorantia invincibili carent omni Auxilio Gratiæ, cum notitiâ deſtituantur, quæ eſt primus aditus ad Gratiam, igitur non datur omnibus Gratia ſufficiens. Sed objicies, hac ratione fieri ut multi adulti moriantur ſine peccatis actualibus: ſed cum ſolo Originali. Reſpondeo concedendo ſequelam: nec video cur ea ſit neganda, ſi de peccatis mortalibus ſermo ſit: (nam venialia negare non auſim) imo non negem multos Pueros & Puellas bonæ indolis inter Infideles etiam minus barbaros in tenera ætate defunctos cum ſolo originali peccato ſine peccato mortali ex hac vita decedere. Quorum quod futurum ſit in alia vita ſupplicium (prorſus enim damnandi ſunt) meum non eſt hoc loco definire: quem-

quemadmodum, nec illud temere affirmo; ſed propono, & judicium meum Auguſtinianæo more ſuſtineo: tantùm dico, nullam reperire cauſam formidinis cum præſertim videam Divum Thomam totius Apicem verticemque Theologiæ 2. 2. q. 10. a. 1. docere Infidelitatem negativam, *Secundum negationem puram ſicut in illis, qui nihil audierunt de Fide, non habere rationem Peccati, ſed magis Pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis conſecuta eſt.* Quæ eſt ipſiſſima Auguſtini doctrina, quam in noſtra Cortina tradidimus. Ex qua deduco, Eſſe aliquos qui nullam Fidei notitiam habent: Eos in ignorantia eſſe invincibili: Hanc eſſe Pœnam peccati Orginalis & citra culpam: atque adeo his Gratiam deeſſe ſufficientem ad credendum: & non teneri ad Fidem, nec peccare non credendo: & in hoc ſtatu culpæ Originalis & Pœnæ conſequentis, ideſt ignorantiæ Invincibilis poſſe decedere.

Summam facio. Reſpondeo in forma argumento. Falſum aſſumere dum ait, Omnibus hominibus dari notitiam Fidei, & legis naturalis, & præceptorum. Itaque quibus detur, ijs Auxilium Gratiæ dandum: ſed dari omnibus eam notitiam, id argumentum ſupponere, non probare: ac id ipſum à nobis conſtanter negari: & omnino negandum probatum eſſe.

Secundum pro Adultorum Gratia, & ultimum argumen tum, concuſſum jam, ac penè profligatum manet: Sed quia materiem ſingularis doctrinæ præbet, accuratiùs ſolvendum. Procedit à neceſſitate Gratiæ ad vincenda omnia & ſingula peccata. Supponitque niſi adſit, hominem non peccare: aut peccando excuſari: quòd

quod cum fieri nequeat (nec enim quis in eo quod peccat, excusatur) supereſt ut peccare non poſſit is qui caret Gratiâ. Huic facilè ſecundum proximam ſolutionem occurritur, concedendo quibus nulla detur Gratia, eum nec peccare, nec poſſe peccare. Cujuſmodi multos eſſe Barbarorum non inficiamur. Unde argumentum nihil concludit. Damus enim libenter, quod deducit, nec id abſurdum putamus. Verum cum Auguſtinus author ſit, omnia opera quæ deliberatè ab Infidelibus ſine ulla Fide & Gratia ſunt eſſe Peccata, uti nos cum multis in Cortina noſtra propria queſtione monſtravimus; neceſſe eſt aliter eidem argumento reſpondere: nam ea ſententia Auguſtini ſupponit, ſine ulla Fide, & Gratiâ, ideſt ſine ullo Auxilio ſufficienti peccari, quandoquidem opera ita operantium deliberata peccata ſunt.

Hanc difficultatem accuratiſſimè expendimus & clariſſimè ſolvimus in Cortina q. un. de libertate & neceſſitate peccandi, præcipuè art. 7. & quæſt. ſingulari de neceſſitate Gratiæ ad actus honeſtos, quò lectorem remittimus; nunc breviter reſpondemus: Hominem Infidelem duobus modis poſſe peccatum vincere: aut per actum virtutis contrarium vitio, aut per alium actum minus malum, videlicet homicidium per mutilationem membri. Primò modo non poteſt ſine gratia: Secundò poteſt. Et tamen ſuppoſito, quod non habeat Gratiam, adhuc peccabit: nam etſi ſine Gratiâ ſit ad genus mali determinatus, non eſt tamen determinatus quoad ſpeciem mali: Unde adhuc manet cum poteſtate electiva ad hanc vel illam formam peccati; quod

quod ſatis eſt ad libertatem peccandi. Quo ſenſu dixit l. 1. de nupt. & concupiſcent. c. 3. Auguſtinus. *Non peccata coercentur: ſed aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Quod rurſum aſſerit lib. 4. cont. Julian. c. 3. Reliqua ex Cortina petantur. Id tamen non affirmo; Propono.

Breviter itaque ſolvimus concedendo primum, quibus non detur Gratia, eos non peccare: cujuſmodi ſunt Infideles, qui habent ignorantiam invincibilem, & de his loquimur in tradita ratiocinatione. Secunda reſponſio affertur ex abundanti ad uberiorem doctrinam: & in gratiam Auguſtini ac diſcipulorum: in quibus ſunt Proſper, Fulgentius, & Bernardus: quibus conſentit Magnus Gregorius, & alii quos citavi in Cortina q. 2. a. 4. & in Collatione Gregorii & Bernardi cum Auguſtino. Id relinquo judicandum

Solutis argumentis, ſupereſt de his duabus ſententiis ferre judicium. Et quidem prima affirmans gratiam Univerſalem, quòd hodie in Scholis valeat, magnum pondus authoritatis obtinet, & utramque apud Scholaſticos paginam facit. Eam ego tutam & probabilem exiſtimo. De ſecunda negante univerſalitatem Auxilii, ſunt qui minus bene ſentiant; imo & non deſunt qui ei notam erroris inurant, quod jam olim ſuo tempore obſervavit Vaſquez. 1. p. d. 97. c. 3. & ego nunc obſervo fieri ab Antagoniſtis Janſenii. Fateor ingenuè in Academiis præſertim Hiſpanicis minus benè audire. Quod cum annos abhinc decem Theologiam Conimbricæ domeſtica in Schola docens, animadverteſſem, & in hanc difficultatem (quòd materiam de Prædeſtinatione & gratia ex mente Auguſtini Scho-

Scholaſtico more dictabam) incidiſſem, in qua mihi perſpectum erat, quid Auguſtinus ſenſiſſet; ita dictando me geſſi, ut negantem Auguſtino tribuerem, & magnis momentis confirmarem, confirmatamque in medio relinquerem; non auderem tamen apertè illam profiteri, imo in communem oppoſitam inclinarem.

Nunc ingeuuè fateor libentius meum me judicium ſuſtinere, quàm in alterutram partem ferre. Sed eo profeciſſe me puto; quòd diſputando effeci, ne quis hanc ſententiam audeat deinceps graviori calculo notare. Petoque à Scholaſticis (quos amo & colo) Doctoribus, velint diſceptationem hanc benevole excipere, & quæ à me in ea ſunt dicta attentè legere, accuratè recognoſcere, ſeriò expendere, & exilius ſecum cenſendo rationes putare, ut mitiùs poſtea cum hac ſententia agant, & in Scholas ſuas recipiant. Ecquid enim eſt quod in ea, uti à me propoſita eſt, deſiderari ad probabilitatem poſſit? Scripturarum Authoritas? Multa ex iis & idonea protuli teſtimonia: non coacta, non detorta non dubia: Sed nata, ſed recta, ſed perſpicua. Authorum Patrocinium? Non paucos Patronos adhibui: Patres, Epiſcopos, Doctores: quibus nunc addo Thomiſtas quos tacito nomine allegat P. Sebille. in recenti ſuo & luculento opere *De libero Arbitrio* l. 2. c. 2. imo & Authorem ejus ſententiæ Auguſtinum eſſe monſtravi. Quod ſi negent, certe non negabunt plurimos ita & graves mecum Scholaſticos Doctores de Auguſtino ſentire. Rationum momenta? Certè plurima adduximus & non levia: & contraria diſtinctè, & aptè confutavimus. Jam verò, ſi quòd hanc negantem gratiæ

Univer-

Universalitatem sententiam Hæretici quidam amplexi sunt, ideo probare nolunt: Scrupulum abstuli, monstrando multò pluribus affirmantem Hæreticis, inter quos sunt ij, quos aversantur maximè, placuisse. Ita non modo evulsi scrupulum, sed objeci. Quare cum nulla opinor justa Causa superfit ad illam, quæ sane Augustiniana est, sententiam improbandam, desinant insectari eam, & suâ sinant probabilitate frui. Nec dubito, quin qua sunt æquitate, cum hæc accurate expendant, calculos adjiciant suos, & probent; probatamque confirment, & celebrent.

EPILOGUS.

HOC est meum de totâ quæstione & de mente super eâ Augustini verum syncerum que judicium: nec meum solum, sed aliorum etiam quos citavi gravissimorum Authorum; quos necesse est refellat qui me refutet. Sed quoniam vereor ut sint quibus minus hæc de circumscriptâ voluntate Dei & Gratia sententia probetur, velint que illi genuinum Censuræ dentem infigere, præter ea quæ adduxi Authoritatis, rationis que momenta, illud animadverto, quæstionem hujusmodi uti a me proposita & agitata est, de Vocabulo (ut aiunt) esse, atque adeo & si sententia negans universalitatem Sufficientis Auxilij vera probabilisque non esset cum reapse non contradicat affirmati, sed solâ voce discrepet, improbari eam proscribi que non posse. Videbitur hoc nouum & insolens: sed planum & manifestum efficio. Utrinque admittitur Deum providisse media eaque re exhibuisse, quibus salus pararetur: cujusmodi sunt lex Evangelium & Sacramenta cum Gratia: quæ ad multos perveniunt: & dantur in particulari: de his neutra pars dubitat, habere Gratiam. Sunt autem alij ad quos non perveniunt hujus modi media, undecunque tandem id proveniat. De his quæstio est: An habeant Gratiam Sufficientem? Utraque sententia in eo convenit. Media esse in re, sed non omnibus applicari. Convenit etiam

tiam in Cauſis univerſalibus ea contineri, quanquam in particulari non explicentur, nec applicentur. In eo eſt diſſentio. An ſatis ſit ad affirmandum, *Omnibus dari Gratiam Sufficientem* illa ratio in Cauſis univerſalibus contenta? quæ ab utraque ſententia conceditur? Qui affirmant, dicunt ſatis eſſe; qui negant, inficiantur. Itaque ſolis vocibus pugnant, nam cum eandem rem admittant, qui affirmant, rem illam Auxilium dicunt, alij non dicunt. Affirmantes volunt, ut ſit ſatis contineri Auxilium in Cauſis univerſalibus, & quod re vera in mundo exiſtat, etſi omnibus in particulari non exhibeatur. Negantes nolunt ut ſit, ſatis contineri in ijs cauſis, & eſſe in rerum naturâ, niſi in particulari ſingulis præſtetur. Itaque non differunt in re, ſed in modo loquendi. Quod illi vocant Auxilium ſufficiens, hi non vocant. Rem admittunt: de vocabulo diſceptant. Utar exemplo. Sunt qui dicant dari in Deo Subſiſtentiam Abſolutam. Sunt qui negent. Qui aiunt, dicunt naturam Divinam eſſe in eo genere abſoluto perfectam completamque, atque adeo illam perfectionem in ratione Entis abſoluti Subſiſtentiam Abſolutam eſſe appellandam. Qui negant, dicunt eam naturam in genere ſuo abſoluto perfectam eſſe, ſed eam tamen perfectionem Subſiſtentiam non eſſe, quòd ſit ultimum complementum & terminus naturæ, quæ non patitur ulterius compleri & terminari: cum autem natura illa divina Subſiſtentiis Relativis ulterius compleatur & terminetur, Subſiſtentem dici non poſſe. De quo cum in Societate Jesu Conimbricæ ſtudiorum meorum tempore ageretur, eaque acerrime quæſtio agitaretur, quod Suarius

partis affirmantis, Vaſquius negantis author eſſet, & Magiſtri in partes traherentur, memini viros doctos dicere tantam eam, tanto ſtudio ſuſceptam, tanta vi agitatam quæſtionem ad vocabulum reduci: nimirum utrum ea perfectio Abſolutæ naturæ, Subſiſtentia eſſet dicenda, nec ne? Quibus ego jam tum mimus doctus aſſentiebar, poſtea factus doctior, omnino conſenſi. Atque uti tum Vaſquij magis negantis, quam Suarij affirmantis ſententiam, modum que loquendi approbavi, ita nunc eidem Vaſquio neganti Auxilium univerſale quam Suario (etſi minus quam in Subſiſtentia repugnet) affirmanti aquieſco.

Supereſt Tertius Liber de Adjutorio *Quo* ſive Gratiâ Efficaci Auguſtiniana, quem jam penè confectum apud me, formatum que habeo! In eo accuratiſſime Auguſtini mentem inveſtigo, & fidiſſimè refero, & clariſſimè expono. Id recipio, nec me in ea tradenda quicquam de Controverſia inter Patres Thomiſtas & Jeſuitas ſuper Auxilijs acturum, & Auguſtini veſtigia inoffenſo pede ſecuturum. Ac ſpondeo veram me & germanam Efficacis Gratiæ Formam, quæ in Auguſtino eſt, quaſi intento digito monſtraturum. Eam verò medium quiddàm eſſe inter Prædeterminationem Patrum Thomiſtarum, & Congruitatē Patrum Jeſuitarum dilucidè oſtendam: nixam Auguſtini authoritate, & teſtimoniis Scriptorum utruiſque Scholæ Thomiſticæ & Jeſuiticæ, quibus utor frequentiſſime confirmatam. Ac ita comparatâ cum Efficaci Gratia libertate, ut media etiam inter neceſſitatem & indifferentiam viâ inventâ, extra adminicula Conditionatæ ſcientiæ concordiam amba-

ambarum certam, conſtantemque demonſtrem, quæ tantopere deſiderata eſt: tamque ad componendas Prædeſtinationis, Libertatis, & Gratiæ difficultates neceſſaria judicatur. Mirabitur hæc aliquis, & irridebit: ſed qui norit quam procul ab arrogantia & fuco ſim, quam moderatus in ſcribendo, parcus in cenſendo, cautus in judicando, timidus in aſſerendo, ſuſtinebit ſaltem judicium, & dum mea legit patienter expectabit: nec ego aliud à legentibus poſtulabo. Quod ſi perlectis luecubrationibus meis ultra nonū, imo & ſextum decimum (tot enim harum rerum ſtudio impendi) annum preſſis comperiat, me aut in promittendo vanum, aut in probando futilem, aut in præſtando falſum, & luſiſſe operam, & aliis impoſuiſſe, non recuſem aut arrogantiæ, aut temeritatis, aut ſtoliditatis, aut quo nihil mihi gravius poteſt accidere, impudentiæ notam ſubire, & ab omni ubique Doctorum hominum conventu exibilari. Cudatur hæc in me Faba, &

Vulgi Fabula fiam.

Quod ſi qui aut in Cælo novam ſtellam, aut in aere impreſſionem inſolitam, aut in mari fretum inſulamue occultam, aut in ora Promontorium incognitum., aut in terra Fluvium irrepertum anteà explorarunt, magnum quiddam feciſſe putantur, ob id que celebritatem nominis ſunt adepti, & qui ad ea aperienda ſe obtulerunt, eos Reges & Principes benevolè acceperunt, & præmiis propoſitis incitarunt, ingentes que ad rem patrandam ſumptus contulerunt, cur ego qui novum

ad

ad enavigandum maximæ difficultatis pelagus inventurum me Sydus promitto, non benigne accipiar & liberaliter invitabor? At tanta res eſt ut præſtari nequeat, cum præſertim ſumma ingenia vias excogitaverint, præter quas nulla videtur ſupereſſe: nam ſi reliqua eſſet ea, ſane tantorum hominum aciem ingenii non fugeret: quibus cum ego ſi conferar inter Gigantas Pumilio videbor. Verum quod ad me attinet, ingenuè fateor tenuitatem meam, & nanum me eſſe profiteor: & meo ſi ingenio fiderem, increpandus & irridendus eſſem: ſed ſi cætera ſpectentur, nec omnes adhuc viæ ſunt conſumptæ, nec quæ ſunt exploratæ difficultatem ſuſtulerunt, imo auxerunt: quod argumento eſt ſupereſſe adhuc tramitem, quo ad illam veritatem poſſit perveniri: quem cum ego in Auguſtino inventurum me affirmem, non meo id ingenio facultative, ſed illius doctrinæ tribuendum. At hoc ipſum alios longè doctiores latere non potuit. Nimis urgent; ſed, non idcireo exanimor. Nam fortaſſe illi quòd acutiores eſſent, & doctiores in Auguſtino minus videre potuerunt; cum enim oculos nitidos & luce plenos haberent, non totam ab eo lucem acceperunt, & qui mentes ſcientiæ implerant, nequibant ex ſolius Auguſtini fontibus bibere, ſimiles iis, qui cum ad hauriendam aquam amphoras alia aquâ plenas afferant, non poſſunt eas aquæ quam inquirunt, implere. Ita interdum nimium ſcire impedimento eſt ad alienam accipiendam doctrinam. Potuit igitur, ut aiunt, quoſdam inopes copia facere. Me inopia copioſum reddere: nam accesſi fateor ad Auguſtini lucem caligans, ad fontem vacuus, ad doctrinam

ctrinam rudis, animo discendi ex eo, non de eo judicandi: nullâ præformatus opinione, nullo præoccupatus affectu; informem ei me, & incorruptum tradidi, ut quam ille animo meo disciplinæ formam imprimeret, ad eam me penitus conformarem. Itaque mirum non est, quòd qui minus in aliis videam in Augustino plus cernam, quòd in eo tantum oculorum meorum aciem collocavi: & visus ibi meos consumpsi. Ex quo fieri poterit, ut cum omnes pene Augustinianæ doctrinæ viæ ad Gratiam tendant, si eæ mihi assiduo & pertinaci studio sunt perspectæ, veram tandem invenire quæ eo duceret, omnino potuerim.

Verum & illud esto. Fallar. Ecquid vetat, me experiri; & periculum mei facere, & conatus meos inspicere? Facile est audire hominem cum Augustino loquentem. Solæ mihi sunt aures dandæ. Non aut pecunias, aut instrumenta, aut operas postulo. Usuram tantum temporis exigo. *Facilis jactura Legendi.* Si seria afferam proficiam. Si nugas delectem. In scenam prodeo. Si gravem Personam agere nequeam, Mimum agam. Acta continuo res erit. Dent plausum. Dimittant. Quod si excipere me nolint, & aures malint obserare, quam aperire, ac ego demum repulsam patiar interminabor: Caveant ne iis contingat, quod nonnullis Principibus, magnis & gravibus, qui accedentes ad se quosdam nauticæ artis peritos homines, compertas sibi novas regiones & incognitæ maria, quæ aperire auderent, affirmantes, neglexerunt, ac dimiserunt, quorum postea laboris fructum cum vidissent, justo dolore concepto negligentiæ suæ iis quos spreverant pœnas dederunt.

Ad

Ac ne quid omittam non ego primus hoc aut tento, aut promitto: Constat enim ante me ejusdem institu ti & Professionis alium nobilem magistrum, P. Fr. Fran ciscum de Arriba, Romæ coram Summo Pontifice Clemente viij. recepisse, comperturum se rationem conciliandi cum Efficacia Gratiæ Arbitrii libertatem: ac super eo audiri postulasse, & obtinuisse: datis sibi ad conferendum duobus Eminentissimis Cardinalibus Ascoli, & Bellarmino, qui multos eum dies ea de re dicentem audierunt; ejusque ad Pontificem dicta retulerunt: quemadmodum ex tomo quem super eo in lucem edidit, in quo historiam narrat, & sententiæ suæ summam proponit, quem apud me habeo, manifestè apparet. De exitu disputationis haud constat. Illud maneat: magnam tunc ejus rei expectationem fuisse: quam nescio an explere ratione â se prolatâ potuerit: ardua enim ac difficilis visa est. Volebat quippe, ut utrâque sententiâ retentâ & Thomistarum & Jesuitarum, staret libertatis Indifferentia (uti ab his admittitur) cum Efficacia Prædeterminantis Gratiæ (uti à Thomistis ponitur) consensio: & utraque pars simul vera esset, nec una alteri repugnaret; quod sane, cum extremè ac perspicue sint oppositæ adynaton utrisque Patribus videbatur. De quo ego nunc judicare nolo. Id tantum vendico: quoniam ille prior hanc viam tentavit, neminem mihi iratum fore jure debere: qui insolens non sim, & æquũ me postulare, dum super eâ re audiri, & scribere volo, cum præsertim Augustinus in me audiendus sit, & multò sit, quam allaturus est, facilior viâ, quam quæ à P. Arriba designata fuit. Longe enim facilius

facilius est mediam inter utrosque extremè consentientes viam invenire; quàm duo inter se extrema in unum conjungere ac opponi inter se negare: & cum alterum excludat alterum, ambo retinere.

Ac ut nihil quod ad rem faciat prætermittam: quemadmodum, qui magnum quiddam inventuros se spondent exhibere aliquod in re minori exemplum solent ex quo spectatores conjiciant, haud irritam in magno illo quod promittunt operam fore: ita ego inducto hujusmodi de Adjutorio *Sine quo*, id est, *Sufficiente Auxilio Gratiæ* volui tanquam argumento ostendere, quod in alio Adjutorio *Quo*, id est, Efficaci præstare possint: ut si in illo primo explicando, & formando ad mentem Augustini latens aliquid aperui, & prodidi, quod probetur placeatque Scholasticis: ita in hoc & eruendo, & componendo ad Augustini sensum aliquid sim occultum reperturus, quod cum proferam & exponam non parum sim Reipub. Theologicæ profuturus. Certè ni mea me fallit opinio, qui hunc librum legat, & rationem scribendi in eo & aliis de Gratia libris meam expendat comperiet, nihil à me aut temere affirmandum suscipi, aut fluxè susceptum probari.

Et quoniam conatus sum propositam de circumscriptione Gratiæ Augustinianam sententiam à Recentiorũ acerba quorundam notâ liberare: & quia hæc cum nonnullis aliis propositionibus suspectis ab iis numerari solet, ac uti earum una impugnari; operæ pretium erit, monere eos inductis certarum Propositionum, quas pro damnatis habent exemplis, quam moderati & cauti esse debeant in Censorio de aliorum sententiis judicio ferendo:

rendo: ut opportunè moniti ſibi moderentut & mitius calculum ponant.

Juſta monitio.

AMO Auguſtinum, & Societatem JESU amo. Nollem ut novi quidam Authores quicquam cenſendo committerent, quod injurium Auguſtino, & Authoribus antiquis Societatis Jesu, in quibus ego ſum magnoperè verſatus, foret. Et quoniam comperi eos ſtudio impugnandi contrarias ſuis opinionibus ſententias quotquot a Michaele Baio prolatæ in Bullis Summorum Pontificium Pii. V. & Gregorij XIII. continentur Propoſitiones, eas omnes damnatas dicere, operæ pretiũ duxi pro meo in Auguſtinum, & Antiquos Authores Societaris Jesu Amore, certas quaſdam Propoſitiones quas ipſi cum Auguſtino affirmant, etſi inter Baianas inveniantur, tutas & ſanctas eſſe, cùm Auguſtini, & Patrum Jeſuitarum ſint: quorum maxime doctrina probatur.

Prima. *Nulla tentatio vel levis quidem & minima vinci poteſt ſine Gratia Chriſti.* Baij 30. Eſt Bellarmini, & Toleti Societatis Jeſu Cardinalium, & Vaſquij alterius Theologiæ Jeſuiticæ Principis. Bellarmin. tom. 3. contr. l. 3. c. 7. Tolet. apud Vaſquium. in 1. 2. diſp. 190. c. 18. n. 114. & Vaſq. ibid. & d. 189. a. c. 13.

Secunda. *Nullum bonum opus morale fit ſine Gratia Chriſti.* Pertinet ad 25. & 29. Baij.

Eſt Vaſquij expreſſa. in 1. 2. d. 190. & pro ea citat 22. Scholaſticos. Eam tenet Schola ejus Complutenſis: & ego eam audiui Madriti & Compluti ex Patre Didaco

daco Alarcone in Collegio Complutenſi Societatis Jeſu Lectore Primario. Auguſtini autem & diſcipulorum ejus eſſe: & multorum prætera Conciliorum & Patrum probat ipſemet Vaſquius in eadem diſput. 190.

Tertiam: *Omnia Opera Infidelium, quæ ſine ulla illuminatione Fidei ab ipſis deliberate fiunt ſunt Peccata*, deflexa ex 23. & 29. Baij.

Auguſtini eſſe & plurium Patrum affirmat Maldonatus Commentariis in Matth. 6. n. 18. & probat Vaſquez. in 1. 2. à. diſp. 189. c. 8. & 9. & diſput. 191. c. 4. & diſput. 52. c. 1. & pro ea non pavcos citat Authores d. 190. & 191. nec patitur aliter Auguſtinum exponi. Eandem eſſe Divi Bernardi nos exactè oſtendinus in Cort. tract. ultimo. ubi 2. locos perſpicuos adduximus. Serm. 30. & 51. in Cantica in quibus illud Pauli *omne quod non eſt ex Fide Peccatum eſt*. Non de conſcientia, ſed de Fidei lumine cum Auguſtino intelligit.

Quarta: *Liberum Arbitrium ſine aliqua Gratia in ſtatu naturæ lapſæ nihil boni poteſt efficere*. Quæ ita habetur in Baio. Propoſ. 27. *Liberum arbitrium ſine Gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccatum valet*. Eſt Summi Theologi Joannis Maldonati commentar. in Joan. c. 6. n. 44. *Liberum Arbitrium naturalis in bonum & malum facultas eſt: Sed in malum per ſe ſolum valet, in bonum non niſi Gratiâ juvetur*. Cum igitur Maldonatus probet tantus Author Societatis: & ea Auguſtini & Concilij Arauſicani ſit Can. 22. ut affirmat Vaſquez. 1. 2. d. 190. cap. 18. non eſt ex damnatis; ac ita judicat idem Vaſquez ibi: & probat adverſus Caſianum n. 182.

Reliquarum propoſitiorum quæ communiter no-

tantur à recentioribus quibuſdam, etſi nulla ſit Baij, tamen quia volunt eas malè audire, duas volo hîc afferre, & ab omni etiam privatâ nota eximere.

Altera eſt: *Deus non dat omnibus omnino hominibus Gratiam Sufficientem.* Hanc abſolutè tenet Vaſquez. 1. p. d. 19. b. ubi docet non ſolum non dari à Deo, ſed negari omnino Parvulis, qui in maternis uteris moriuntur. Idem tradit Pater Becanus. in Sum. Scholaſt. de ſacram. in ſpecie. c. 10. q. 6. n. 6. & ſentit cum Vaſquio.

Quod adultos attinet: Carere multos Auxilijs Sufficientibus Authorem eſſe Auguſtinum, tradit Vaſquez. 1. p. d. 97. c. 3. 4. &. 6. & Maldonatus in Joannem, c. 1. n. 9. & c. 12. n. 39. & 40. & c. 19. in Matth. n. 11. Cum eoque ſentire diſcipulos affirmant. quanquam neget Marcus Antonius de Dominis, lib. 7. de Repub. Eccleſiaſt. c. 11. & Voſſ. de hæreſi Pelagianæ l. 7. p. 1. theſi 3. & 4.

Altera Propoſitio eſt. *Deus non habuit Generalem voluntatem ſalvandi omnes, nemine prorſus excepto, nec locus. Pauli 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſalvos fieri. ita intelligi debet ut illud omnes non per genera ſingulorum, ſed per ſingulos generum diſtribuatur.* Sic Vaſquez 1. p. d. 96. negans de infantibus capiendum, & Becanus in Sum. Scholaſt. de ſacram in ſpecie. c. 10. q. 5. qui ad ſolos adultos limitant illud *Omnes.*

Auguſtinum ne de Adultis quidem omnibus explicare locum, Maldonatus in Joan c. 1. & 12. & Vaſquez 1. p. d. 83. c. 1. authores ſunt. Verba Vaſquij afferre volo. *Auguſtinus*, inquit, *teſtimonium Pauli 1 ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri: nuſquam explicat de voluntate*

voluntate beneplaciti, quæ re vera in Deo sit circa salutem omnium hominum: Sed tribus aliis modis quibus plane eam beneplaciti circa omnium salutem negat.

Quomodo igitur illæ 4. primæ Propositiones damnatur in Bulla? cum Augustini, & gravissimorum Doctorum imo & Patrum Societatis sint? Respondeat pro me Vasquez, & Toletus ab eo relatus, quos duos magni facere Authores soleo: ijs que omnino subscribo. Produco integrum locum Vasquij, etsi longior, sed optimi authoris dicta quò sunt longiora eò meliora sunt. Ille igitur in 1.2. æ. d. 190. c. 18. proponit verba Bullæ, quæ ejusmodi sunt. *Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas quanquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in rigore tamen & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, & quæcunque super iis verbo scriptoque emissa præsentium authoritate damnamus.* Super quâ Censurâ ita Vasquez. *Ex qua damnatione non satis apparet, qualis unicuique propositioni censura sigillatim conveniat: nec prædictis propositionibus omnes illas notas et censuras simul, sed singillatim convenire, hoc est singulas singulis tribuendas esse, ex prædictis verbis apertè constat. Ego etiam non dubito propositiones quas memoravimus, & etiam multas alias continentes acre judicium, quo Doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantum, ut scandalo & offendiculo patentes, & hac ratione solum prohiberi nam & audacia nimiaque arrogantia in aliorum sententijs malignè vellicandis ac lacerandis non parum scandali afferre solet, à quo docti, & prudentes Theologi in suis scriptis abstinere deberent. Hac eadem de causa in Ecclesia prohibitum est ne ullus*

lus Theologus disputans, aut edisserens de Conceptione Beatæ Virginis ut suam sententiam pronunciet, aut oppositam sugillare, aut aliquam ei notam inurere audeat.

Verum ex eo quod prædictæ propositiones continentes severiorem notam oppositæ opinionis hoc modo reprobatæ interdictæ sint à Pio V. & Gregorio XIII. non proinde ullo modo in damnationem aut notam incidit sententia authoris de ea re si tollas censuram de opposita. Et adducto exemplo Conceptionis Beatæ Virginis: addit. Eodem modo ex eo quod propositiones citatæ continentes sugillationem oppositæ oppinionis, quæ dicit posse fieri bonum aliquod opus morale aut vinci tentationem sine Gratia fuerint explosæ à Pontificibus & interdictæ, nullo modo notata opposita, quam prædictus Doctor sequebatur, nempe nullum opus morale fieri posse, aut ullam superari tentationem sine Auxilio Gratiæ. Non ergo incusatur prædictus Doctor, quod hanc sequatur sententiam, sed quod oppositam erroris arguat, sicut etiam accusaretur qui censeret hæreticam opinionem Thomistarũ asserentem Beatam Virginem conceptam in peccato originis, non quod ipse oppositam sequeretur, sed quod prædictam carperet ac emorderet. Hoc modo multæ aliæ propositiones rejectæ in prædicta Bulla quas sigillatim in decursu hujus tractationis suis locis adducemus eà solà ratione quam diximus damnantur, quod oppositæ sententiæ censuram asperam contineant, cum tamen sententia authoris in controversia quam habebat indemnis relinquatur; nunc autem in exemplum nobis una sufficiat: 23. propositio hujus doctoris est in hunc modum: Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Roman. 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt intelligunt de gentibus Fidei Gratiam non habentibus. Quis enim dicat damnari sententiam hujus Doctoris in

eo

eo quod ait illud teſtimonium de gentibus Fidelibus intelligendum eſſe, cum ſit ſententia Auguſtini & omnium Patrum, cum quibus etiam eſt S. Thomas ut vidimus cap. 14. Damnatur igitur acerba nota ob rationem quam diximus. Aut igitur dicamus ſententias communes & veras fuiſſe à Pontificibus damnatas, quod non licet, aut ſeveras tantùm & acres cenſuras prohibitas: ex hoc verò non tollitur quo minus Eccleſia ſuum interponens judicium inter has opiniones definitionem & ſententiam certam opportuno tempore pro una aut pro alia adhibere poſſit, ubi viderit expedire: interim tamen nos aſſerentes nullam tentationem vinci, nullumque opus morale fieri poſſe ſine ullo auxilio Gratiæ per Chriſtum, ut à nobis explicatum eſt, nec oppoſitam opinionem ullo modo vellicantes in offenſo pede curremus. Senſum hujus damnationis prout à me explicatus eſt contuli cum illuſtriſſimo domino Cardinali Franciſco Toleto, cum adhuc Sacri Palatii concionator & Theologus eſſet Anno Domini 1585. qui ut dixi pro hac Bulla & damnatione recipienda Lovanium miſſus fuit, eumque probavit, & germanum eſſe dixit, propriâ manu ſubſcripſit, cujus ſubſcriptionis exemplar apud me eſt.

Ita Vaſquez. Videant igitur nuperi quidam authores quâ ratione audeant proſcribere iſtas & hujuſmodi alias ſententias, eo tantùm nomine quod in Bulla Pij & Gregorii continentur, cum Antiquis & Claris Societatis Authoribus & Heroibus dum eas condemnant errores impingant, dum contra cenſent, eorum judicio refragentur: & caveant ne dum aſperius eas ac ſimiles notant, Vaſquij unius è Jeſuiticæ, Theologiæ ſummis Principibus, Sententiâ graviorem notam incurrant.

TRINITY COLLEGE LIBRARY CAMBRIDGE

FINIS.